

# PALAESTRA

# LATINA



ANN. XXXVII (Fasc. IV) - N. 200  
M. DECEMBRI — A. MCMLXVII

# P A L A E S T R A   L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses:* Eleutherius Briongos, C.M.F. *Administrator:* Henricus Arenas, C.M.F.

*Moderator:* Marianus Molina, C.M.F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C.M.F.

*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C.M.F.; Josephus M. Jiménez, C.M.F.

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 37 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Seminario Claretiano, ALAGON (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 peseti; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.20 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 doll ribus.

---

Depósito legal Z. 191.-1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

---

## I N D E X

ANN. XXXVII (Fasc. IV) - N. 200  
M. DECEMBRI — A. MCMLXVII

H. VELÁZQUEZ, O. S. B., « <i>Epitaphia</i> » sive demortuorum elogia.	147
T. CIRESOLA, <i>Pueri in nive ludentes</i> ... ... ... ... ...	167
A. PAGANO, <i>De deo ex machina euripideo ac de tragicis fabulis a Cordubensi philosopho exaratis</i> ... ... ... ...	173
J. MARINELLI, <i>In «Fidei annum» universo celebrandum orbi.</i>	177
J. M. MIR, C. M. F., <i>Scribe latine. — Descendimiento de Cristo a los infiernos</i> ... ... ... ...	179
BIBLIOGRAPHIA, J. L. Latorre, J. Jiménez Delgado, P. Herranz, D. Mosaka	187

# P A L A E S T R A   L A T I N A

L I T T E R A R U M   L A T I N A R U M   C O M M E N T A R I I

A   S O C I I S   C L A R E T I A N I S   E D I T I

---

ANN. XXXVII (Fasc. IV) — N. 200

M. DECEMBRI

A. MCMLXVII

---

## “EPITAPHIA” SIVE DEMORTUORUM ELOGIA

Nullus dubito in hac provincia, id est in epitaphiis tum condendis tum enucleandis, multos adlaborasse viros, eosque longe litteratissimos. Quam ob rem in hac parte nihil dicere contendam novi. Neque enim in tanta titulorum supellectile et inquisitione quid novum proferre ullo modo poteram. Ad summum igitur hoc tantum agam, nimirum quandam totius rei summam conficere et ex immensa fere elogiorum copia, non nullorum —quae exemplo esse possint— delectum habere, et quae mihi in propmtu sunt adjicere.

Sed quaedam tamen, priusquam rem ipsam aggrediar, praelibare necesse est. Epitaphium, ex graeco fonte ductum, est *inscriptio* seu *elogium* vel etiam *titulus*, quem sepulcris incidimus aut appendimus in laudem et memoriam defunctorum. In hoc distat ab *epicedio*, quod hoc humato necdum cadavere pronuntiabatur. Dictum *epitaphium*, quod corpore tumulato, in sepulcro soleat inscribi.

Porro, haec titulos conscribendi ratio jam post natum hominum genus invaluit ob insitum in nobis quoddam immortalitatis desiderium. Quod cum ita sit, quantus philosophandi campus sese nobis hoc in loco aperit! In quo plane nullum dicendi finem haberemus... Qua propter haec missa facientes, ad rem nobis propositam veniamus.

Epitaphiorum, inquam, usus antiquus et veluti cum mundo natus fuit. Primus qui ea adhibuit existimatur Jacob, qui mortua Rachel uxore et tumulo illata, monumentum erexit, quod Burchardus arbitratur fuisse Pyramidem perelegantem, in cuius basi erant duodecim lapides praegrandes juxta numerum duodecim filiorum Israel.

Simon autem Machabaeus magnificum tumulum erexit super corpora et sepulcrum patris ac fratrum (Mach. 1,13).

Ceterum, Div. Hieronymus scribit (Epist. ad Marcell. 3) se solitum deprecari ad mausoleum regis Davidis. De quo Petrus apostolus (Act. 2) ait: «Et sepulcrum ejus apud nos est usque in hodiernum diem» (cf. Reg. 3,2). Fuit autem celeberrimum propter aedificia adjuncta, et reconditos in eo thesauros, quos partim Joannes Hircanus exhausit, dum obsideretur ab Antiocho Pio, auferens tria millia talenta auri, quibus totius populi vexationem redimeret, partim, Herodes, magnam vim reperiens mundi pretiosi et aureorum ornamentorum: nisi quod cum pervenisset ad reconditoria David et Salomonis, quia ab hoc etiam denominatum fuit sepulcrum, erumpente ex aditis flamma, duo milites sepulcri scrutatores consumpti sunt. Herodes vero, ut se expiaret, e candido marmore monumentum maximis impensis condidit. De quo fusius Flavius Josephus (Antiq. Jud. 7,16,11).

Sed scriptores potissimum profani bene multa hac de re nobis suppeditant. Itaque tempore Trojanorum fuisse morem apud ethnicos faciendi sepulcra mortuis titulosque sepulcrales, non obscure indicat Homerus, cuius sunt illi versus latine redditi:

UT TE SEPELIANT FRATRES ET SODALES  
SEPULCRO ET TITULO: EST ENIM ET PRAEMIUM MORIENTIUM.

Hodieque dicuntur Judaei simile quid facere in sepulcris suorum, insculpentes ea verba, quae Abigail dixit Davidi: «Sit anima tua ligata in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum». (Reg. 1,25).

Prudentius vero in passione Hippolyti martyris ita canit:

PLURIMA LITTERULIS SIGNATA SEPULCRA LOQUUNTUR  
MARTYRIS AUT NOMEN, AUT EPIGRAMMA ALIQUOD.

Poetis quoque admodum familiare fuit cujuspiam facta dicendo persequi, itaque titulos usurpare et scribere. Sic, verbi gratia, illud Vergilii in Daphnide:

DAPHNIS EGO IN SILVIS HINC USQUE AD SIDERA NOTUS,  
FORMOSI PECORIS CUSTOS, FORMOSIOR IPSE.

Et Ovidius Naso in epist. Phyllidis (Art. II, 352):

PHYLLIDA DEMOPHOON LETHO DEDIT, HOSPES AMANTEM.  
ILLE NECIS CAUSAM PRAEBUIT, ILLA MANUM.

Quin ille ipse ad uxorem scribens, mandat sibi mortuo exstrui sepulcrum, et hosce versus inscribi. Verba ipsa dabo (Trist. 3,3,36):

QUOSQUE LEGAT VERSUS OCULO PROPERANTE VIATOR,  
GRANDIBUS IN TUMULI MARMORE CAEDE NOTIS  
HIC EGO QUI JACEO TENERORUM LUSOR AMORUM,  
INGENIO PERII NASO POETA MEO.  
AT TIBI QUI TRANSIS, NE SIT GRAVE, QUISQUIS AMASTI,  
DICERE: NASONIS MOLLITER OSSA CUBENT.

Jam vero, posterioribus saeculis multo amplius solitum fuit mortuorum memorias, erectis tumulis et inscriptionum monumentis celebrare, sic ut ad vilissimos quosque devenerit, nihilque tam usitatum hac aetate quam tempa et coemeteria undique titulis adornare, non modo qui defuncti memoriam refricent, sed qui subinde totum vitae decursum et elogium complectantur. Exempla sunt ferme innumerata, adeo ut copia inopiam parere videatur. Nequid autem praeterrire videar, totam rem in septem tribuam capita:

1. Epithaphia seria.
2. Epithaphia heroum et principum.
3. Epitaphia succinta et venusta.
4. Epitaphia superba et impia.
5. Epitaphia jocosa vel facete dicta.
6. Epitaphia curiosa et peregrina.
7. Epitaphia brutorum.

Jam pressius de singulis agam, ne praescriptas mihi scribendi metas plus nimio cogar excedere.

### 1. EPITAPHIA SERIA

Seria plerumque sunt epitaphia, dicit Beyerlinck (*Theatrum vitae humanae*, vol. III, p. 298 sqq.), cum defunctum ad posteros transmittant, ac nomini eorum velut monumentum aeternum statuant. In quo ludere, minus decorum; detrahere, ignominiosum est, nisi eam ignominiam defunctus dum viveret sibimet male factorum nota peperisset. Quo casu laudabilem inscriptionem non consequetur, qua ut mortuus careret, male vivendo effecit. Sic Calvini haeresiarchae tumulo non nemo adscripsit hunc versum:

SIC CALVINE QUIESCAS, ATQUE LEVIS TIBI TERRA  
SIT, TUA QUA POSSINT ERUERE OSSA CANES.

Serium est illud regis Galliae cuiusdam, quod posteris dedit P. Camerarius Horar. (cap. 38, Cent. 2):

RISI, PLORO. FUI, NON SUM. STUDUI, REQUIESCO.  
 LUSI, NON LUDO. CECINI, NUNC MUTIO. PAVI  
 CORPUS, ALO VERMES. VIGILAVI, DORMIO. DIXI  
 SALVE, DICOQUE VALE. RAPUI, RAPIOR. SUPERAVI,  
 VINCOR. CERTAVI, PACE UTOR. JURE EGO VIXI,  
 JURE ETIAM MORIOR. NON OBSTO, OBSTARE NEQUIREM.  
 TERRA FUI QUONDAM, RURSUS SUM TERRA: NIHIL SUM,  
 TERRA CADUCA VALE; VERMES SALVETE, RECU'MBO.

Tale quoque est illud Attilii, grammatici Comensis, quod tumulo adscriptum legitur:

MORBORUM VITIA ET VITAE MALA MAXIMA FUGI:  
 NUNC CAREO POENIS, PACE FRUOR PLACIDA.

Huc referatur oportet illud Feliciani cuiusdam veronensis, quod sic habet:

MIHIMET FELICIANUS VERONENSIS SACRUM CONST.  
 QUI INQUIETUS VIVUS, NUNC TANDEM MORTUUS, NON LUBENS QUIESCO.  
 SOLUS SIM QUAERIS? UT IN DIE CENSORIO SINE IMPEDIMENTO  
 FACILIUS RESURGAM.

Et alterum T. Lupati Patavi, Paduani, qui obiit anno MCCCXCIX:

ID QUOD ES, ANTE FUI, QUID SIM POST FATA, REQUIRIS,  
 QUOD SUM QUIDQUID ID EST, TU QUOQUE, LECTOR, ERIS.  
 IGNEA PARS CAELO CAESAE PARS OSSEA RUPI,  
 LECTORI CESSIT NOMEN INANE LUPI.

Accenserit his merito debet, quod vivus sibi defuncto inscribi, supremis testamenti tabulis voluit Justus Lipsius, et legitur Lovanii apud PP. Franciscanos:

QUIS HIC SEPULTUS QUAERIS; IPSE EDISSERAM.  
 NUPER LOQUUTUS ET LINGUA ET STYLO FUI.  
 NUNC ALTERO LICEBIT: EGO SUM LIPSIUS,  
 CUI LITTERAE DANT NOMEN ET TUUS FAVOR.  
 SED NOMEN. IPSE ABIVI, ABIBIT HOC QUOQUE.  
 ET NIL HIC ORBIS QUOD PERENNAT POSSIDET.  
 VIS ALTIORE VOCE ME TECUM LOQUI?

HUMANA CUNCTA FUMUS, UMBRA, VANITAS,  
ET SCENAE IMAGO, ET VERBO UT ABSOLVAM, NIHIL.

EXTREMUM HOC TE ALLOQUOR:  
AETERNUM UT GAUDEAM, TU ADPRECARE.

Praeterea, Romae, prope templum S. Mariae Majoris in Sacello Pontani, hoc aliud legitur:

QUID AGAM REQUIRIS? TABESCO.  
SCIRE QUIS SIM CUPIS? FUI.  
VITAE QUAE FUERINT CONDIMENTA ROGAS?  
LABOR, DOLOR, AEGRITUDO, LUCTUS.  
JUGUM FERRE SUPERSTITIONIS.  
QUOS CAROS HABEAS SEPELIRE.  
PATRIAЕ VIDERE EXCIDIUM.  
NAM UXORIAS MOLESTIAS NUMQUAM SENSI.  
PETRO COMPATRI, VIRO OFFIC.  
PONTANUS POS.  
CONSTANTEM OB AMICITIAM MDLXXV.

## 2. EPITAPHIA HEROUM ET PRINCIPUM

Nunc vero, inter epitaphia, quae appellavimus *seria*, invenimus illa, mea quidem sententia praestantiora, quae scriptores ethnici memoriae posteritatis commendarunt. Talia sunt heroum qui bello trojano interfuerunt. Quae quidem cum bene multa supersint, non nulla tantum seligenda duxi, quae sunt exempli gratia (ex versione Antonii Burdigalensis, poetae):

### MENELAO

FELIX O MENELAE, DEUM CUI DEBITA SEDES:  
DECRETUMQUE PIIS MANIBUS ELISIUM.  
TYNDAREO DILECTE GENER, DILECTE TONANTI,  
CONJUGII VINDEX ULTOR ADULTERII.  
AETERNO POLLENS AEVO, AETERNAQUE JUVENTA  
NEC LETI PASSUS TEMPORA, NEC SENII.

## PYRRHO

ORBE TEGOR MEDIO MAJOR VIRTUTE PATERNA,  
 QUOD PUER, ET REGIS PYRRHUS OPIMA TULI  
 IMPIUS ANTE ARAS QUEM FRAUDE PEREMIT ORESTES,  
 QUID MIRUM CAESA JAM GENITRICE FURENS?

## ULISSI

CONDITUS HOC TUMULO LAERTA NATUS ULISSES.  
 PERLEGE ODYSSEAM, OMNIA NOSSE VOLENS.

## POLYDORO

CEDE PROCUL, MYRTUMQUE ISTM FUGE NESCIUS HOSPES  
 TELORUM SEGES EST SANGUINE ADULTA MEO.  
 CONFIXUS JACULIS ET AB IPSA CAEDE SEPULTUS.  
 CONDOR IN HOC TUMULO BIS POLYDORUS EGO.  
 SCIT PIUS AENEAS, ET TU REX IMPIE, QUOD ME  
 THRACIA POENA PREMIT, TROJAQUE CURA TEGIT.

## NESTORI

HOC TEGOR IN TUMULO, QUARTI JAM PRODIGUS AEVI  
 NESTOR, CONSILIO CLARUS, ET ELOQUIO.  
 OBJECIT SESE, CUJUS PRO MORTE PEREMPTUS  
 FILIUS: ET NATI VULNERE VIVO PATER.  
 EHEU, CUR SATIS DISPONERE SIC PLACET AEVUM.  
 TAM LONGUM, UT NOBIS, TAM BREVE, UT ANTILOCHO?

## GUNEO

GUNEA PONTUS HABET; TUMULOS SINE CORPORE NOMEN,  
 FAMA HOMINES INTER CAELUM ANIMUS REPETIT.  
 CUNCTA ELEMENTA DUCI TANTO COMMUNE SEPULCHRUM,  
 QUAE? CAELUM, ET TELLUS, ET MARE, ET ORA VIRUM.

## HECTORI

HECTORIS HIC TUMULUS CUM QUO SUA TROIA SEPULTA EST,  
 CONDUNTUR PARITER, QUI PERIERE SIMUL.

Sed de his satis. Pergamus nunc ad alias heroum inscriptiones, quas piaculum foret praeterire silentio. Sunt enim venustiora et aureae latinitatis digna. Multa nobis omittenda sunt, proh dolor! Nihil tamen secius, proferamus saltem haec:

### ALEXANDRO MAGNO

SUFFICIT HUIC TUMULOS, CUI NON SUFFECERAT ORBIS:  
RES BREVIS HUIC AMPLA EST, CUI FUIT AMPLA BREVIS.

### CATONI

NE MIRERE SACRI DEFORMIA BUSTA CATONIS:  
VISUNTUR MAGNI PARVA SEPULCRA JOVIS.

### SCIPIONI AFRICANO

DEVICTO HANNIBALE, ET CAPTA CARTHAGINE, ET AUCTO  
IMPERIO, HOC CINERES MARMORE TECTUS HABES.  
CUI NON EUROPE, NON OBSTITIT AFRICA QUONDAM,  
RESPICE RES HOMINUM, QUAM BREVIS URNA TEGAT.

Cui consonat hoc aliud ignoti ducis:

JUNXIT MAGNORUM CASUS FORTUNA VIRORUM.  
HIC PARVO, NULLO CONDITUS ILLE LOCO EST.  
ITE NOVAS TOTO TERRAS CONQUIRITE MUNDO;  
NEMPE MANET MAGNOS PARVULA TERRA DUCES.

Quibus attexam perelegans illud epitaphium Ausonii de Euphemio, cuius praeteritam gloriam, olim quidem maximam, nunc vero, sub umbra tumuli, inanem prorsus et vacuam, ita canit:

EUPHEMUM CICONUM DUCTOREM TROIA TELLUS  
CONDIDIT HASTATI MARTIS AD EFFIGIEM.  
NEC SATIS EST TITULUM SAXO INCIDISSE SEPULCRI;  
INSUPER ET FRONTEM MOLE ONERANT STATUAE.  
OCIUS ISTA RUUNT, QUAE SIC CUMULATA LOCANTUR?  
MAJOR UBI EST CULTUS, MAGNA RUINA SUBEST.

Multa omitto, quod dolendum sane est, sed pergamus ad

### 3. EPITAPHIA SUCCINTA ET VENUSTA

Epitaphia succinta, id est brevia sive contracta. Sunt enim inscriptiones in quibus demortuorum gesta paucissimis verbis auctor enarrat, et quam brevissime potest totum vitae curriculum describit. Paucis vero ea perstringens, vividiora fiunt epitaphia atque venustiora, nam multa paucis innotescunt, et scriptor, ut sic dixerim, «non multa, sed multum» profert. Ex quo fit, ut plaeraeque inscriptiones sepulcrales a brevitate et acumine decorum habeant et elegantiam.

E multis paucas, exempli gratia, suppeditabo. Ac primum sese offert inscriptio dedicata tumulo Rosimundae Henrici II, Anglorum regis amasiae, quae visitur in coenobio Godstoveio:

HAC JACET IN TUMBA ROSA MUNDI, NON ROSA MUNDA:  
NON REDOLET, SED OLET, QUAE REDOLERE SOLET.

Insuper, Praefectus militum Adriani imperatoris, nomine Similis, hac inscriptione post obitum legitur decoratus:

SIMILIS HIC JACET:  
CUJUS AETAS QUIDEM MULTORUM ANNORUM FUIT;  
SEPTEM TAMEN DUMTAXAT VIXIT.

Nimirum quia totidem in otio et quiete vixerat.  
Florentiae, in templo D. Marci:

HIC SITUS EST PICUS MIRANDULA: CETERA NORUNT  
ET TAGUS, ET GANGES, FORSAN ET ANTIPODES.

Laurentio Vallae tale epitaphium obvenit, Romae in aede S. Joannis:

TANDEM VALLA JACET, SOLITUS QUI PARCERE NULLI EST.  
SI QUAERIS, QUID AGAT? NUNC QUOQUE MORDET HUMUM.

Dum vero Bartholomaeus Facius, Vallae invitus, hinc etiam paulo post discederet, quidam utrumque hoc disticho notavit:

NE VEL IN ELYSIIS SINE VINDICE VALLA SUSURRET,  
FACIUS HAUD MULTOS POST OBIT IPSE DIES.

Superest et hoc epitaphium cuiusdam venatoris, qui dum aprum figit a serpente quem calcabat, mordetur:

ANGUIS, APER, JUVENS, PEREUNT VI, VULNERE, MORSU.  
HIC FREMIT, ILLE GEMIT, SIBILAT HIC MORIENS.

Patavii, duorum juvenum diverso mortis genere interemptorum, tumulus his versibus decoratur:

SISTE, LEGAS JUVENUM CRUDELIA FATA DUORUM:  
ALTER AQUA PERIIT TURPITER, ALTER EQUO.

Denique, hoc aliud Julii Portiae, quod legitur Romae, ubi auctor figura ludit paronomasia in hunc modum:

PATRIA ROMA FUIT, GENS PORTIA, NOMEN IULUS,  
MARS PUEBUM INSTITUIT, MORS PUEBUM RAPUIT.

Exstant deinde epitaphia quamplurima, quae plus minusve venusta appellare licet, quantenus jucundi leporis, vel facetiis condita sunt. Exemplo sint sequentia:

MAXIMILIANUS CAESAR SEMPER AUGUSTUS  
DEMISSUS CAELO,  
REDDITUS CAELO,  
NON OBIIT, SED ABIIT.

Lovanii exstat epitaphium Gemmae Frisio medico inscriptum, cuius auctor fuerit certe homo comis in facetiis aut hilaris in argutiis:

QUIS LAPIS HIC? GEMMAE. GEMMAM LAPIS AN TEGIT? INQUIS,  
AT CONDI IN GEMMA DEBUERAT POTIUS.

Perquam venuste est atque urbane dictum hoc epitaphium cuiusdam Stephani Comitis:

QUI «COMES» IN TERRIS NON OMNIBUS ESSE VOLEBAT,  
GAUDET APUD SUPEROS OMNIBUS ESSE «COMES».

Ovidii Nasonis tumulus cum hac inscriptione inventus est in finibus Graeciae, haud procul a Ponto Euxino, circa annum 1581, ruderibus obsitus, habens ingentem sarcophagum fonti limpidissimo imminentem. Inscriptio ita se habet:

HIC SITUS EST VATES, QUEM DIVI CAESARIS IRA  
 AUGUSTI, LATIA CEDERE JUSSIT HUMO.  
 SAEPE MISER VOLUIT PATRIIS OCCUMBERE TERRIS,  
 SED FRUSTRÆ; HUNC ILLI FATA DEDERE LOCUM.

Lepide quoque scripsit auctor illius epitaphii cuiusdam Floridi,  
 quod legitur Romae:

QUOD VIXI FLOS EST: SERVAT LAPIS HOC MIHI NOMEN.  
 NOLO DEOS MANES, «FLOS» SATIS EST TITULO.

Et Caroli Viruli:

HIC CAROLUS SITUS EST, «VIRULUS» COGNOMINE DICTUS.  
 SED PIETAS MAGNUM QUEM PROBAT ESSE «VIRUM».

Tunc demum, non erit injucundum huic loco apponere hoc aliud,  
 quod legere licet Mutinae, in Aede Dominicanorum. Pertinet ad Gas-  
 parem Petrazanum, qui hanc defunctus inscriptionem meruit:

FLAMMA SACRI JURIS, FLAMEN JOVIS, OPTIMUS OSSA  
 PETRAZANUS HABET, GASPAR IN HOC TUMULO.  
 MACTABAT SUPERIS; CECIDIT MACTATUS AD ARAS,  
 UT CECIDIT PRO DIIS, STAT DEUS ANTE DEOS.

Huc adduci alia multa possunt. Ex innumeris enim pauca memo-  
 ravi —fortasse non multa cum sollertia; veniam precor—. Plura  
 lector reperiet palato suo non ingrata, apud auctores, qui monumen-  
 ta et inscriptiones variarum regionum posteritati consecrarunt.

Nunc veniamus ad

#### 4. EPITAPHIA SUPERBA ET IMPIA

Superba, id est inscriptiones elatae vel etiam inflatae, quippe quae  
 defunctum altius extollant quam oporteat, et omnia putent in eo uno  
 esse collocata, adeo ut eum insolenter superbum faciant et arrogantia  
 turgidum. Haec scribendi licentia, ut patet, apud omnes invidiosa est  
 laeditque bonorum omnium animos. Haec, exempli ergo, sufficient:

Selymus X, Turcarum imperator, Constantinoli sepultus, tumu-  
 lo suo, Graeca, Turcica et Sclavonica lingua adscribi voluit, quae  
 sequuntur:

HIC MAXIMUS ADSUM SELYM, QUI ORBEM DOMUI:  
 NON BELLA RELINQUO, SED PERGO INQUIRERE.

NEC ULLA ME FORTUNA POTUIT EVERTERE.  
LICET OSSA JACENT, ANIMUS BELLA QUAERIT.

Superbia est non ferenda illud aliud Solymanni Turcarum imperatoris:

TERROR GERMANIS, ITALIS TREMOR, HORROR IBERIS,  
INGENTEIS FREGI REX ORIENTIS OPES.  
MATER ERAT BELLONA, PATER MARS THRACIUS: HINC QUOD  
ARMA PUER, JUVENIS, VIRQUE SENEXQUE TULI.  
VIVENTI PELAGUS FUERAT MIHI NON SATIS AMPLUM,  
DEFUNCTUS MODICIS AD STYGA CLAUDOR AQUIS.

Stolido superbū est et illud Attilae Hunnorū regis, ac proinde omnibus odiosum atque invisum:

QUID TOT CONSPICIENS, VIATOR, ALTUM,  
ERECTA AD TUMULUM TROPHEA, TOTQUE  
VICTORUM EXUVIAS, DUCUM URBIUMQUE,  
TOT CADAVERA, TOTQUE DE SUBACTIS  
TRIUMPHOS POPULIS, STUPES, ANHELAT?  
REX ILLE ATTILA, NUMINUM FLAGELLUM,  
TU NOSTI RELIQUA, HIC JACET, VIATOR.  
CERNE, UT NUNC ETIAM CINIS SUPERBUS  
SPIRET IMPERIUM, MINAS, FUOREM:  
HUNC CASUS NISI, NARIUM SOLUTA  
VENA, DUM THALAMUS NOVAEQUE NUPTE  
INDULGET NIMIS, ABSTULISSET: ORBIS  
EVERSUS, TITULOS DECUSQUE MONSTRO  
FATALI CUMULARET ET TROPHAEA.

Jam quae impia appellavi epitaphia perfunctorie saltem attingam. Dicta praebent in divina prorsus injuriosa atque scelestā. Et prout nefariam redolent impietatem, intimos animi sensus aperiunt defuncti, et pravam ejus indolem misere patefaciunt, illustrant, deprehendunt. Sic, Romae, in domo Petri Chiavelucii, Notarii, legitur:

DIIS MANIBUS  
SIXTI PERPENNAE FIRMI.  
VIXI QUEMADMODUM VOLUI.  
QUARE SIM MORTUUS,  
NESCIO.

Ibidem, non procul a foro Judaeorum:

JULIA B. PRISCA VIX. ANN. XXVI.  
Q. CLODIUS HILARIUS VIX. ANN. XLV.  
NIHIL UNQUAM PECCAVIT,  
NISI QUOD MORTUA EST.

Et illud non minus impium:

QUO VADAM, NESCIO: INVITUS MORIOR,  
VALETE POSTHUMI. M. POSTHUMIUS EQUES.

Impium quoque est, quod Sardanapalo Asiae Regi potentissimo, et effeminatissimo obtigit epitaphium, belluinae vitae ipsius testis. Quippe tumulo illius insculpta erat manus dextra conjunctis digitis, velut ad elidendum sonum, in eoque litteris assyriis hoc inscriptum, uti ex Athenaeo Aristobolus tradit:

SARDANAPALUS ANACYNDAXIS FILIUS, ANCHIALEM ET TARSUM  
UNO DIE CONDIDIT.  
EDE, BIBE, LUDE.  
RELIQUA NE DIGITORUM QUIDEM STREPITU DIGNA SUNT.

Strabo autem ex Cherilo poëta subjicit hos versus lib 4 *Geographiae*:

CUM TE MORTALEM NOVIS, PRAESENTIBUS EXPLE  
DELICIIS ANIMUM, POST MORTEM NULLA VOLUPTAS.  
NAMQUE EGO SUM PULVIS, QUI NUPER TANTA TENEbam.  
HAEC HABEO, QUAE EDI: OUAEQUE EXSATURATA LIBIDO  
HAUSIT: ATILLA MANENT MULTA ET PRAECLARA RELICTA.  
HOC SAPIENS VITAE MORTALIBUS EST DOCUMENTUM.

Sane cum Aristoteles in hoc monumentum invidisset, primamque epitaphii partem legisset, «Ec quid, inquit, aliud in bovis tumulo scripsisset?» ac posteriores deinde versus legens, risit, et dixit: «Hic ad se mortuum habere dicebat, quae ne vivus quidem habuit, nisi quamdiu deglutiebat».

Praeterea, Petri Pomponatii Mantuani epitaphium est:

HIC SEPULTUS JACEO.  
QUARE? NESCIO. NEC, SI SCIS, AUT NESCIS, CURO.  
SI VALES, BENE EST; VIVENS VALUI.  
FORTASSIS NUNC VALEO.  
SI, AUT NON, DICERE NEQUEO.

Hoc autem elogio huic capiti finem imponam. Ceterum, exstant quoque tituli non nulli prorsus indecori, quos missos facimus ut pote indignos qui hic a nobis proferantur. Cujusmodi sunt elegia in quibus foeda et turpia impudentissime narrantur, quae omnes plane pudore suffundunt. Nunc igitur gressum faciam perveniamque ad

### 5. EPITAPHIA JOCOSA VEL FACETE DICTA

Jocosa nimirum quia per jocum vel ridiculum dicuntur, et cum legimus non possumus quin rideamus. Itaque, quae maxime seria sunt, ridiculo vertunt, vel quod idem est, de seriis jocantur. Re quidem vera, aliquando —ne dicam semper— defunctus aliorum ludibrio exponitur (quod nefas est dictu), ita ut aliena oblectamenta de suo solvat, et omnibus fabulae sit. Quod perinde est ac si ipse defunctus se omnibus deridendum daret.

Refert Athenaeus (*Diplosoph.* 10, 12) bibaci cuidam, incertum an Philippo regi defuncto, tale a Polaemone obtigisse epigramma:

ARCADIONIS HABET TUMULUS HIC OSSA BIBACIS,  
ERECTUSQUE URBIS PROXIMUS ILLE VIAE HUIC.  
CHARMILUS, ET DORCI, POSUERUNT: MORTUUS EST VIR,  
DUM MAGNI CALICIS EBIBIT ISTE MERUM.

Romae, epitaphium cujusdam parasiti extra portam Capenam, repertum est hujusmodi:

HEUS HIC SITUS EST, OFFELLUS BUBALUS, BIBULUS: QUI DUM  
VIXIT AUT BIBIT, AUT MINXIT. ABI PRAECEPS.

Referri hunc etiam potest, quo Wolfgango Bipontino duci nimia ingurgitatione extinto, Schola Parisiensis inscripsit, estque tale:

PONS SUPERAVIT AQUAS, SUPERARUNT POCULA PONTEM:  
FEBRE TREMENS PERIIT, QUI TREMOR ORBIS ERAT.

Aliud quod Senis legitur, ad vinolentum pertinent. Elogia hujusmodi —si tamen «elogia» dici possunt— obviam veniunt viatoribus. Hic mortuus, dum viveret, temulentiam exercebat; nihil enim sibi gratius erat, ut videtur, quam vino ventrem distendere. Ita habet epitaphium:

VINA DABANT VITAM, MORTEM MIHI VINA DEDERE;  
SOBRIUS AURORAM CERNERE NON POTUI.

OSSA MERUM SITIUNT: VINO CONSPARGE SECULCHRUM  
ET CALICE EPOTO, CHARE VIATOR, ABI.

Itidem Senis in templo S. Dominici, Germano cuidam inscriptum:

VINA DEDERE NECI GERMANUM, VINA SEPULCHRO  
FUNDE, SITIM NONDUM FINIIT ATRA DIES.

Legitur et elegans carmen Antonii Mureti in tumulum Ottonis cuiusdam, hominis voracissimi:

CONDITUS HAC SUB HUMO EST GURGES VASTISSIMUS OTHO,  
CUI NUNC OFFICIUM JUSTA REPENDIT HUMUS.  
CONDIDIT IN VENTREM TERRAE TOT JUGERA VIVUS  
HUNC SUB VENTRE SUO NUNC QUOQUE TERRA TEGIT.

Heliodorus Carthaginiensis in Hispaniam devenerat, peragrata orbis non minima portione. Tandem ad Gades, ubi olim Herculis columnae et templum, substitit, ibique defunctus tale monumentum consequutus est:

D. M. S.  
SI LUBET, LEGITO.  
HELIODORUS INSANUS CARTHAGINIENSIS  
AD EXTREMUS ORBIS,  
SARCOPHAGO TESTAMENTO ME HIC JUSSI CONDIER.  
UT VIDEREM,  
SI QUISPIAM ME UNQUAM INSANIOR, AD ME VISENDUM  
AD HAEC USQUE LOCA PENETRAVERIT.

Est et hoc incerti poetae, cui nomen Joannes Fossa, quod sibi scripsit:

HAC SUNT IN FOSSA FOSSAE MIRABILIS OSSA,  
QUI SIBI CONDENDO VERSUS CERE-COMMINUIT-BRUM.

Facete haec dicta sunt, sicuti illa grammatici cuiusdam, qui non minus declinationes bene noverat, «tumulum» autem *declinare* nescivit:

GRAMMATICAM MULTOS SCIVI, DOCUIQUE PER ANNOS.  
DECLINARE TAMEN NON POTUI «TUMULUM».

Ad extremum, elogium subjiciam cuiusdam monachi Arnulphi, quod legere licet in coenobio Villariensi:

PAUSAS IN HAC TUMBA, VIR SIMPLICITATE COLUMBA,

QUI LEO VIRTUTE, JUBILIS SIMILATUR ALAUDAE  
 QUI TURTUR GEMITU, VISU SIMUL ATQUE VOLATU  
 PAR AQUILAE. SALAMANDRA NOVO QUI VIXIT IN IGNE.  
 VIS BREVIUS JUSTI LAUDES IN FINE PROBARE?  
 NUNC CANIT «DO LA SOL», QUI QUONDAM FLEVIT IN AVE

Sed de jocosis et peregrinis satis. Nunc ad cetera pergam. Videlicet ad

## 6. EPITAPHIA CURIOSA ET PEREGRINA

Commentario supersedeo, nam ad finem propero. Exempla dumtaxat in medio proferam. Atque in primis sit epitaphium monstri, quod legitur Florentiae, et ita se habet:

HAC PETRUS PAULUSQUE UNO SUB CORPORE BINI  
 FABRICA NATURAЕ MIRA JACEMUS HUMO.

Persimile est illud Gemmellorum, Romae:

UNA DIES ANIMO SIMILES, VULTUQUE GEMELLOS,  
 UNA DIES FECIT FUNERE DISSIMILES.  
 AEMULA SED NOSTRAE FUERINT CUM FATA JUVENTA,  
 UNA MEOS CINERES CONDET ET URNA TUOS.

Ibidem, elogium pueri ab angue interfecti:

LUDERET IN VIRIDI DUM CESPITE LYDIUS INFANS,  
 PROPTER AQUAM (AH PIETAS) ICTUS AB ANGUE CADIT,  
 INFELIX MATER, NATUM COMPLEXA TACENTEM  
 OCCIDIT ANGUE PUER, VICTA DOLORE PARENTS.

Miserandum sane quod dicitur in hoc titulo:

PONTIA TITI PONTII FILIA HIC SITA SINU.  
 QUAE DUOBUS NATIS A ME VENENO CONSUMPTIS  
 AVARITIAE OPUS  
 MISERE MIHI MORTEM CONSCIVI.  
 TU QUISQUIS ES QUI HAC TRANSIS,  
 SI PIUS ES,  
 QUAESO A ME OCULOS AVERTE.

Nec praetereundum censeo venustum Tergestae titulum in Histria:

ME LONGE EFFIGIE VENUSTIOREM  
NARCISSI, VEL APOLLINIS COMATI,  
PARCARUM LACHESIS SOROR SEVERA,  
ISTI QUINTERINEM DEDIT SEPULCHRO.  
CUR NON FOSCUS EXEAM REQUIRIS?  
CUM TANTUM FUERIM PUEB DECORUS?  
HAEC TELLUS NIMIS ARIDA EST VIATOR,  
NOSTRI FACTA PERUSTIONE AMORIS  
NAM TERRAM QUOQUE LAESIMUS DECORE.  
QUOD SI LACHRYMULIS TUIS MADESCET;  
FORSAM FLOS NOVUS IBIT E SEPULCHRO.

Demum, epitaphium subdam amasii, cui nihil sibi carius erat quam dilectio. Amores itaque suos describit in hunc modum:

QUISQUIS LECTURUS ACCEDIS, CAVE SI AMAS.  
AT SI NON AMAS, PENSICULA MISER, QUI SINE AMORE VIVIT,  
DULCE ERIT NIHIL.  
AT EGO TAM DULCE ANHELANS ME INCAUTE PERDIDI.  
ET AMOR FUIT EQUO DUM ASPECTUI FORMOSISS.  
DURMIONIAE PUELLAS VIRGUNCULAE  
SUMMA POLVORIA PLACERE CUPEREM,  
CASU DESILIENS PES HAESIT STAPIAE, TRACTUS INTERII.

Alia omitto. Tum denique leviter attingam

## 7. EPITAPHIA BRUTORUM

Inscriptionum honor etiam ad bruta ab hominibus transiit, et quae illis natura supra alia sui generis largiter indulxit, litterarum monumentis consignata a variis, qui eorum lepores ingeniumque, tanquam beneficæ naturae munera varie experti, suam velut gratitudinem memorabili inscriptione testati sunt. Ordiemur ab equis.

Exstat Florentiae sepulchrum ad ripam Arni, infra novum palatium equi, cui Carolus Capellus Venet. Legatus insederat, in coque hoc distichon legitur:

NON INGRATUS HERUS, SONIPES MEMORANDE SEPULCHRUM  
HOC TIBI PRO MERITIS, HAEC MONUMENTA DEDIT.

Fortissimus Stephanus, Poloniae rex, equo suo generosissimo qui eodem quo frater ejus Dominus Transilvaniae extinctus fuerat, in loco quod haud procul ab arce Vilnensi tumulatus est, monumentum erexit, his versibus celebratum:

REGIS EQUUS STEPHANI, FORMA GRESSUSQUE SUPERBUS,  
ET CURSU VELOX: PROPE VILNAE CONDITUR ARCEM,  
QUI MORIENS, REGES FRATREM PRAESAGIIIS ESSE  
SUBLATUM E VIVIS: DOCUIT QUOD FAMA SECUTA.  
HUIC STATUA ERECTA EST MONIMENTUM TESTIS EQUINI.

Julius insuper Capitolinus memoria prodidit Verum imperatorem equo suo Volucri, quem ita amavit ut ei aureum fecerit simulacrum, et uvas passas, nucleosque in vicem hordei in praesepe imposuerit, sepulchrum in Vaticano fieri curasse. Simili autem modo, apud Dionem de Borythene —teste Beyerlinch, op. men.— equo Adriani Caesaris legitur, quo in venando plurimum utebatur, mortuo sepulcrum factum, columnam erectam, et epigramma adscriptum esse.

Nunc ab equis ad asinimum genus descendimus. Romae, in hortis Cardinalis Sermonettae, monumentum mulae conspicitur, cui inscriptio hujusmodi adhaeret aut inhaeret:

CHIUCHIAE DORSIFORAE ET CLUNIFERAЕ,  
AC PESSUETAE ET MANSUETAE,  
CUJUS UT INSULTURA DESULTURAE COMODETUR.  
PUB. CRASSUS MULAE SUAE CRASSAE,  
BENEFERENTI,  
SUPPEDANEUM HOC CUM RISU POSUIT.  
VIXIT ANN. III, MENS. XV.

Eiusdem prope modi est tumulus qui Romae legitur:

CABALLAE PHILIPPI CAGOSSI.  
MIRARIS TUMULI VIATOR AMPLAM  
MOLEM? PERLEGE CARMEN. HOSPES ISTO  
NON VIR, NON MULIER JACET SECULCHRO,  
NON BOS, NON ARIESVE, NON ASELLUS;  
SED RURIS DECUS, ATQUE RUSTICORUM  
CABALLAE HIC REGITUR SENIS CAGOSSI,  
QUAM PLUS CONJUGE PLUS NURU PHILIPPUS  
PLUS VITA, ATQUE OCULIS SUIS AMABAT.  
NAM, CUM PEDE CLAUDICARET UNO,  
AEGRE ET DUCERE SPIRITUM VALERET.  
LETHALIS QUOQUE CANCER OCCUPAVIT,

AETERNO ET MISERAM DEDIT SOPORI.  
 QUARE MOESTUS EAM SENEX PHILIPPUS  
 DEFUNCTAM DECORAVIT HOC SEPULCHRO,  
 INGENS GLORIA LUMINE UT CARENTIS  
 AD SEROS QUOQUE TRANSEAT NEPOTES.

Progrediamur ulterius ac de canum tumulis agamus. Frequentia monumenta sunt, et quae bruti istius indolem minime brutam, et fidem quoque leporesque testentur.

Xantippus canem qui juxta triremem Athenis Salamina enataverat, in promuntorio humavit, quod adhuc Cynossema, id est canis monumentum nominatur.

Multa hujus generis exstant, quorum de numero sunt haec epitaphia:

QUOD POTUI, POSUI TIBI FIDA CATELLA SEPULCHRUM;  
 DIGNA MAGIS CAELI MUNERE, QUAM TUMULI.

Item aliud:

PARVE CANIS, TIBI PARVA DOMUS, ET CORPORE PARVUS  
 ET BREVIS EST TUMULUS, ET BREVE CARMEN HABE.

Adde illud non minus elegans itemque curiosum elogium, quod catellae contigit:

CANDENTI E LAPIDE TIBI CONVENIT URNA, FUISTI  
 CANDIDA TOTA PILO, CANDIDA TOTA FIDE.  
 SI CAELUM UT QUONDAM CANIBUS PATET, HAUD TUA TERRAS  
 INCENDET, SED VER STELLA PERENNE DABIT.

Sunt in promptu aliorum brutorum elogia, ex quibus tria tantum hoc in loco proferre libet. Sit in primis locustae:

EXIGUUS QUAMVIS IPSOQUE IN LIMINE NOBIS  
 PRO TUMULI INJECTUS PENDET HONORE LAPIS:  
 AT MERITO TAMEN EST, HOSPES, LAUDANDA PHILAENIS,  
 NAM QUAB SPINOSIS ANTE LOCUSTA LOCIS  
 VIXI, CANTANTEM GEMINIS DILEXIT AB ANNIS  
 NUNC POSTQUAM SERIS SUM VIDUATA SONIS,  
 IMPOSUIT TUMULO, NEC SPREVIT LUCE CARENTEM,  
 EDUCTAEQUE DIU PARVA SEPULCHRA DEDIT.

Ejusdem prope farinae est illud philomelae:

DIIS AVIBUS.  
LUSCINIAE PHILOMELAE,  
EX AVIARIO DOMITIORUM SELECTAE,  
VERSICOLORI, PULCHERRIMAE, CANTRICI SUAVISSIMAE.  
OMNIBUS GRATIIS AD DIGITUM PIPILANTI,  
IN POCULO MURRHINO CAPUT ABLUENTI,  
INFELICITER DEMERSAE.  
HEU MISSELLA AVICULA  
HINC INDE VOLITABAS TOTA GARRULA, TOTA FESTIVA.  
LATITAS MODO INTER PULLA LEPTYNIS LOCULAMENTA,  
IMPLUMIS, FRIGIDULA, CLAUSIS OCELLIS.  
VALF ET VOLA PER ELYSIUM.

Postremo, hoc titulorum agmen apitaphio claudam muscae in patera demersae, quod legitur Bredembergae, in Cimbria:

GUSTATRIX JACET HIC LAUTORUM MUSCA CIBORUM  
ET CONVIVA FREQUENS PRINCIPIS IN TABULA.  
NON VOLUCRIS ROSTRO, STIMULIS NEC ARANAE ADUNCIS,  
CRETICA SED GUSTANS POCULA, POTA CADIT.  
NIL OPUS EST LUCTU: QUIS ENIM TAM NOBILE FATUM  
LUGEAT? EST AURO CONDITA, MERSA MERO.

\* \* \*

Sed jam finem dicendi faciamus oportet, quantumvis multa dicenda supersint, ac praesertim innumera adhuc exempla, ut antea dixi, possint afferri. Nemo autem mihi succenseat, si ea quae attuli non omnibus arrideant. Quod si ita est, adeant, quaeso, ad auctores qui titulos ex fontibus hauserunt, et ex his magna quidem volumina concinnarunt.

Ut initio dicebam, ex omni saeculorum memoria homines viorum illustrium facta, oratione celebrarunt et laudum paeconis extulerunt. Idque propter quoddam desiderium, ut ita dicam, immortalitatis. Mortuorum videlicet memoriam posteritati tradere volebant, ac sic titulis exornandam curabant, ut nulla temporis longinquitate deleretur. Exinde illae dicendi formulae, quae apud aureos scriptores vigebant quaque ad nos usque pervenerunt:

«Tuam famam nulla vetustas corrumpet»  
«De te posteritas omnis et audiet et loquetur»  
«De tuis laudibus nullae litterae tacebunt»  
«Memoria tui nominis vigebit in annos multis testata expressaque  
recte factorum monumentis».

Et aliae sexcentae hujuscemodi, quae idem semper exprimere videntur, nimirum quod qui vivunt nihil non agunt, ut mortuorum memoriam ab interitu vindicare et cum omni posteritate adaequare quomodocumque possint.

Denique, hoc dicere velim, demortuorum epitaphia non tam ipsis defunctis quam iis, qui adhuc vita fruuntur, solatio et levamento esse solent. Unam porro nobis consolationem relinquunt: fore ut absentis desiderium titulorum laudibus et elogiis utcumque leniatur. Quo fit ut nobis dolorem consolatione permulceant, adeo ut, cum post carorum mortem affectum aegritudine animum nostrum satiare nulla ratio valeat, praeclara eorum gesta, quae in sepulcris omni laudum genere decorantur, non mediocriter luctum nostrum levare videantur.

**HENRICUS VELÁZQUEZ, OSB.**  
**Ex Abbatia Benedictina**  
**Montiserrati in Hispania**

# PUERI IN NIVE LUDENTES

*Carmen in Certamine Vaticano X  
publica laude ornatum.*

Decidit e piceo confertim candida caelo  
nix, tacitoque vias vacuas vaga turbine complet.  
Saxeа strata rotis superant sine murmure currus,  
atque atras patulis nebulas e naribus efflat  
lassus equus, tenuem spirans de corpore nubem.  
Nulla exauditur jam vox, sed leniter aures  
temptantur querulo tantum clangore tubarum,  
quo dux automati sibi iter cito poscit eunti.  
Arborum inadsueto flectuntur pondere rami  
paulatim, atque ubi jam sonuere per aera cantus  
laeti avium, albentis gravior densetur in horas  
moles usque nivis, vastos exaequat et agros.  
Sub nive rura latent, placidoque gravata sopore  
sparsa novae segetis fidenter semina servant,  
quae sub sole novo lenta flavesket arista.

Excipiunt pueri grato clamore cadentem  
incassumque nivem manibus conantur anhelis  
arripere, interdum linquentes limina furtim.  
Post ubi paulisper glacialis restitit imber,  
caeruleusque iterum tandem apparere fugatis  
nubibus hic illic polus adflante incipit Euro,  
qui cursus, qui continuo per compita laeti  
undique rumores puerorum protinus alta  
tecta relinquuntum longas servata per horas !  
Hos digitis videoas summis prensare rigentem  
atque nivem sensim pressis sorbere labellis,  
illos confestim galidam componere massam  
atque globos manibus duros pressare, viatori  
incauto quos ridentes impingere pergunt.

Lento alibi videoas geminas ad proelia gressu  
infestas prodire acies nova tela gerentes.  
Utraque namque alacris postquam processit in aequum,  
evolat extemplo gelidas pila multa per auras.  
Nam primos niveis contendere glandibus ausos  
excipiunt alii pressae nivis eminus armis,

integris aciem qui viribus inclinatam  
restituunt, hostesque sua virtute repellunt.  
Fit clamor, laetoque vias cum murmure rixae  
ludicrae complent jucundo non sine risu.

Tunc frustra pueros niveum de veste liquorem  
stillantes, quibus et vultus prope flammeus ardet,  
indociles mater tepidam conatur in aulam  
ducere, quos calido saltem refovere rigentes  
lacte queat. Ludum aggressi decidere nolunt  
nunc alium. Extemplo niveus prope congeritur mons,  
quem scitus properat puer arte exsculpere mira.  
Atque hinc inde pedes videas sub cruribus aequa  
extare immanes, solidosque imitata lacertos  
in patulas ferro nix apte exciditur unco  
deinde manus, vallum intendit quarum altera acutum,  
altera vasa gerit furtim derepta culinae,  
eque brevi collo pupi caput eminet ingens  
ridiculi, nigra adsimulant cui lumina vultus  
candenti teretes exstantes fronte lapilli.  
Pileus extensis summum lacer occupat alis  
verticem. At infixum quid pupus comprimit ore?  
Haud dubie gaudet fumosam sugere testam!  
Eximum paulisper opus mirantur ovantes,  
cui mox coniciunt omnes sua tela ruendo.

Haec nivis algentis puerorum grata voluptas,  
sive inopes dulcis seu dites lumina vitae  
attigerint, nil hoc refert, est jure putanda.  
Omnibus ast nobis quaedam nix gaudia praebet.  
Decidua vici dum albent nive compita parvi,  
grata fuere olim nigris hieme otia ruri  
in stabulis. Noctem tremula a trabe luce lucerna  
discutit, adsidue mandit bos candidus herbas,  
dum calamis fumum inter sese verba serentes  
multa viri sugunt, haustum quem pectore densum  
ore vomunt. Lanae matres sibi vellera carpunt  
certatim propero torquentes pollice fusos.  
Interea cunis puer obdormiscit in albis,  
matris et in somnis blando risu ubera quaerit.

Sed nunc longe alias nobis nix candida praebet  
saepe voluptates, alios concedit et usus.  
Tempus adest cupido pridem quod pectore multi  
optavere simul pueri teneraeque puellae.

cum juvat albentes nive raptim scandere montes  
et peris soleisque oblongis membra gravator.  
Nunc igitur nobis morsu ne frigoris artus  
laedantur validi quavis est arte cavendum.  
Lana pedes contexta manu bene vestiat, atque  
conserto teneras suras molli ocrea filo,  
aeratis caligas clavis praegressa superne,  
et villosa manus defendat frigore pellis.  
Ne pigeat tepido pectus thorace tueri,  
quem tamen obducat supra manicata lacerna.  
Effluat interea rigidas incomptus ad auras  
crinis, pileolo pexus vel fronte tegatur.  
Ast oculorum acies nimio praestringitur albae  
et candore nivis, radianti et fulgure solis.  
Quare oculos vitris fuscis munire memento.

Ergo ludicris instructi his possumus armis  
conectos nivibus laeti succedere montes.  
Nec tamen obductos soli condescendimus aegre  
nunc nive carenti clivos, sed semita longo,  
rivus uti niger ascendens, procul agmine fervet.  
Haud aliter sub nocte levem praedam ore ferentes  
formicas deinceps videas prorepere tecta.  
Sic umeros aequa soleis procedimus omnes  
oblongis, tenui madidi sudore, gravati.  
Quin hominum ut mens est semper divinitus acris,  
ingenio atque usu facilem sibi repperit artem,  
commodius nivis ut cultores culmina montis  
immoti dicto citius prope tangere possent.  
Aerio sursum profertur pendula filo  
sella, sedens soleis qua oblongis praeditus apte,  
praeruptos potis es securus vincere saltus.

Dein ubi cedenti pedibus vestigia nostris  
pressimus alta solo, quod nix obducit iniquum,  
tunc virtute opus est, ut fortia facta geramus.  
Nam pedibus soleam scite cum inneximus imis,  
ac contos ferimus rotulis levioribus auctos,  
haerentes curnam cunctemur, quidve moremur?  
Praecipiti niveis super aggeribus rapiat nos  
aera per gelidum solea actos lignea cursu.  
Currentes si fit celeres ut forte cadamus,  
accipit amplexu prolapsos provida molli  
nix, gelidoque suo occiduos constringit acervo.  
Sed soleis rapide qui strata nivosa peragrant  
oblongis, haud semper iter de montibus altis

lapsi sanguineo tuti sine vulnere pergunt.  
 Nam fit ut interdum subito solvatur inanis  
 haud innexa gravi soleae bene fibula loris,  
 (tantus amor studiumque rapit per cana ruendi  
 quam primum juga), vel cursor necopinus in imam  
 offendat cautem, clivo vel devolet audax,  
 qui casus, membris quae tunc jactura paratur  
 corporeis! Lapsis sed nil letale verendum.  
 Qui cecidere nivis crudeli vulnere campis,  
 haud meritis persaepe leves se laudibus ornant,  
 atque graves post crura trahunt gypsata per urbem  
 tamquam si redeant justi certamine belli.

Ut juvat interea niveos incidere sulco  
 continuis rapide peragratos cursibus agros,  
 atque graves tandem parumper omittere curas!  
 Quam purus pleno latere hic bene ducitur aer!  
 Tinguntur solis radiis hic ora rubore,  
 quae quadam sensim deinceps caligine nigrant.  
 Post cum vesper adest niveus tunc linquitur aegre  
 qui nobis peperit cum ludis gaudia clivus.  
 Sunt tamen et quaedam pariter quae tristia nobis  
 afferat interdum minime nix omnibus aequa.  
 At molli refoves aut cum tua membra lacerna,  
 pellibus aut tenerum cum frigore corpus acuto  
 defendis, multis nonnumquam advertere inentem  
 pauperibus ne te pigeat, qui veste lacertos  
 frustra conantur lacera refovere trementes.  
 Cum lignis positis clausa tibi fulget in aula  
 igne focus, calamis aut fert calefacta teporem  
 lene fluens aqua, tunc miseros reminiscere, sommo  
 in gelidis nequeunt qui claudere lumina tectis.  
 Hic natum mater tremulis complectitur ulnis  
 plorantem, flatuque suo tepefactat anhelum  
 infantis pectus, tussis quod concutit aegrum.

Quin etiam algenti nonnumquam victima cessit  
 maesta nivi, validos quae primo flore juvenae  
 plerosque, atque nova laetas aetate puellas  
 dura rapit, cumuloque omnes gravis obruit alto.  
 Tu quoque nunc placida requiescis pace sepulcri,  
 Lalla, soror tecumque una tua Cynthia somnum  
 aeternum carpit: geminis eadem obtigit urna.  
 Immatura dies vos abstulit alta recludens  
 tempa poli, lacrimas nobis luctusque paravit.

Festa alaci notos repetunt pede luce puellae  
montes, ingenti jamdudum pondere pressos  
omnino nivis albentis, quod currere gestit  
labilibus instructa pedes levis utraque lignis.  
Nec tamen aggressae sunt solae culmina montis.  
Namque duo socii comitantur sponte puellas,  
alter enim frater, Lallae est sed sponsus et alter.  
Maxima transierat raptim pars jamque diei,  
occiduum properans se altos post condere montes  
tingebat rosea saltus sol luce nivales.  
Oblongis juvenes soleis peragrata relinquunt  
vix juga, quo sperant laetos se posse reverti.  
Atque aliis graditur contis vestigia firmans  
post alium, celeres labuntur at ante puellae,  
ac frater aponusque volucres pone sequuntur,  
deversoriolum properi sub nocte petentes,  
laetitiaque alacres per clivos carmina fundunt,  
convallis resonat juvenali percita cantu.

Cum procul horrisono praerupti stridere saltus  
mugitu auditu, immensusque nivis labi mons  
visus, et implicitas secum traxisse puellas  
inque cava praeceps demum considere valle.  
Obstupere gelu juvenes: formidine crinis  
horruit, immotoque repens vox haesit in ore.  
Dein velut amentes magnis clamoribus implet  
ac miseris solam convallem ululatibus ambo,  
auxiliumque petunt raptim de vertice lapsi  
auxiliumque iterant extremo limine valles.

Monticolae extemplo certatim tecta relinquunt,  
omnia magnanimi perferre pericla parati  
ac, facibus densas noctis motantibus umbras,  
conantur nivis immanem cito frangere molem.  
Obscuro tremula vix luce micantia caelo  
sidera conspexere pios certare ligone,  
forte nivi arreptam possent si tollere praedam.  
Frangentes palis tumulum lux postera vidit,  
donec caeruleus cum primo Vesperis axis  
igne nitet, nivibus solea est exsistere visa.  
Tum gelidum sensim manibus divellere montem  
instant monticolae, mox inveniuntque puellas  
albenti casum post tantum fronte serenas.

Quamquam mole gravis, nix haud turpaverat ora,  
utraque sed vultu pallenti virgo renidens  
usque videbatur producere languida somnum.  
Quas frustra juvenes presserunt pectore flentes,  
vellet uterque velut rigidis immittere membris  
haustum quisque suo vitalem e corde calorem.  
Nix alacres fallax lusu illexitque puellas,  
stravit et immitis gelido oppressas cumulo nix.

THEODORUS CIRESOLA, Professor  
Viale Brianza, 22  
MEDIOLANI (Milano) in Italia

# DE DEO EX MACHINA EURIPIDEO AC DE TRAGICIS FABULIS A CORDUBENSI PHILOSOPHO EXARATIS

Euripides unus ex clarissimis tragicarum fabularum poetis est: aetatis nostrae ab hominibus, ne de Romanis, qui eum imitati sunt, loquar, summis effertur laudibus admirationeque afficitur, quod Euripidei dramatis personae ad hominum vitam moresque proprius accedunt ita ut humanissimum et ad nova exempla compositum eum nuncupare possimus. Euripides autem parum gratiae apud veteres inventit eaque laude, quae ei nunc tribui solet, fruitus non est; quin etiam illius aetatis hominibus poetisque ludibrio atque contemptui fuit: primum enim praemium in poeticis certaminibus crebro non obtinuit. Quibus de causis Euripides magni tum habitus non est? Multa ei objurgari solebant vitia, inter quae erga deos impietas, nimia in personarum sermonibus verba ad philosophiam pertinentia ( $\alpha\gamma\omega\nu\epsilon\varsigma\lambda\sigma\gamma\omega\nu$ ) maximeque deus ex machina, quo Euripides ad solvendam dramatis implicationem usus in compluribus fabulis est, cum Sophocles, praeter fabulam illam quae Philoctetes inscribitur, et Aeschylus omnes nexus, quibus interdum tragediae vinciri possunt, per se solvissent.

Euripides equidem, solvendae fabulae implicationis causa, deo qui ex machina, cum desuper per machinam descendat, nuncupatur, compluries est usus: Id, Aristophanis, asperrimi illius vexatoris, sententia, magno tragediae fuit detimento quod fabulae unitatem et simplicitatem non solum funditus abrumperet, verum etiam poetam ad nexum solvendum per se aptum haud esse palam ostenderet. At Aristophanes et ceteri qui Salaminium poetam vel inito consilio permoti vel quod ad ejus operam penitus planeque perspiciendam idonei non erant vehementius insectati sunt, Euripidem ab Aeschylo et Sophocle multum discrepare non perpenderunt. Euripides enim in carminibus condensis, antiquis fabulis omnino fere renovatis, fabulosum se ostendit, quam ob rem affirmari jure meritoque solet eum comoediam quae nova nuncupatur, cuius Menander princeps fuit, antecedere: Fabulae quae «Ion», «Iphigenia Taurica» et «Iphigenia in Aulide» inscribuntur Euripidem fabulosum ejusque opera nexus plena potissimum ostendunt.

Si quidem Salaminius poeta fabulas renovat ac nexus in carminibus condensis praefert, ratione quadam ad implicationem solvendam ei utendum est, cum affirmari possit deum ex machina in scaenam, cum totius dramatis personas poeta loquentes jam induxit,

descendere ut aliquid nuntiet vel potius ostendat cur numina res ita se habere voluerint. In fabula quae «Hippolytus coronam ferens» inscribitur, Artemis, venationis dea, quam Thesei filius valde recolit, desuper veniens, Theseo, magna propter amissam uxorem aegritudine affecto, Hippolitum culpae insontem atque Phaedram numquam violare ausum nuntiat et Veneri totam tribuit culpam. In bacchantibus illis quae, complurium antiquitatis peritorum sententia, Euripidem, deorum contemptorem, ad cultum conversum ostendunt, Dionysus affirmat quibus de causis Pentheus a matre laniatus sit in summis montibus, omnibusque juvenis inique interfecti propinquis imperat ut procul patria, cum insontes sint, se quam celerrime conferant.

Euripides, mea equidem sententia, deo ex machina utitur non quod ad solvendos dramatis nexus aptus non sit, sed quia in animo habet, perfectis fabulis, quam improbi sint caelorum incolae ostendere in ipsorum sermonibus, erga homines qui, cum insontes interdum sint, tamen ludibrio illis esse solent. Deus ex machina aliquid asciti non est, sed, ut prologus, qui apud veteres ludibrio etiam fuit, drama explere solet et efficit ut omnes quam invidi di erga homines sint intellegamus maxime cum poeta eos, confecta hominum fabula, inducit loquentes.

Seneca autem, qui ex Romanorum philosophis aetate nostra magna afficitur admiratione propter humanitatem quae in epistulis ad Lucilium missis, ut de ceteris operis sileam, mirum in modum maxime patet, tragedias, graecos fontes respiciens Euripidisque fabulis magis quam Sophoclis vel Aeschyli usus, etiam edidit. Euripideae fabulae vel ad Medeam vel ad Troades vel ad Hippolytum, ut exemplo utar, pertinentes a Cordubensi poeta accipiuntur; at non omnia philosophum illum tam allexerunt ut, veterum more, dramata pertractaret.

In fabula quae «Phaedra» nuncupatur Seneca Euripidem sibi imitandum proponit qui in «Hippolyto coronam ferente» de Theseos filii aerumnis aegritudineque, Cypridos malevolentia exortis, agit. In Euripidea fabula cuius, ut constat, duae fuerunt scriptiones, Venus efficit ut Phaedra Hippolyti, Antiopae filii, amore cupiditateque vehementer flagret ac juvenis, in exilium a patre nimia ira incenso missus, ejus execrationibus vita misere evadat, cum et Hippolytus et Noverca non solum insontes sed etiam natura pudoreque imbuti esse appareant. Seneca autem dramatis scriptiōnēm quam Euripides antea perfecerat et «Hippolytum velatum», quod manibus os juvenis ob Novercae flagitia tegit, nuncupaverat, accipit; utitur enim fabula quam Athenienses objurgare atque corripere haud dubitaverant, qua re Salaminius ille fabulam ad mulierem nimia cupiditate flagrantem pertinentem iterum confecit maximumque in poetico certamine Atheniensem plausum una cum praemio tandem obtinuit.

Cordubensis, ut nuper diximus, ex Graecorum fontibus res trucio-

res, nefaria, concitatos animos eligit dramatisque personas naturae dissimilitudine inter se discrepantes inducit loquentes, cruenta ac nefanda ostendit et plerumque cunctari, paene dixerim, videtur inter necem atque cruorem (id in fabula quae «Thyestes» appellatur manifeste patet), non quod nefariis delectetur sed quia in animo habet aetatis suae caedes in lucem proferre et distinguere. Nero enim tempore quo Seneca, muneribus ad rem publicam administrandam pertinentibus una cum Burro apud Caesaris aedem jam perfunctus, in studium dilectissimum leniendo dolori incumbebat et in secessu vitam «profluente aqua», ut Tacitus ait, «agrestibusque pomis» agebat, cruore satiari non poterat eoque amentiae pervenerat ut matrem, magnitudinis suae per dolum artificem, ferro atrociter trucidari jussit. Romani cives opprimi ab imperatore, orbis terrarum iam domino, sentiebant et cum Nero popularem omni modo se ostendere conaretur, in irritum tamen nisus cadebant quin etiam in odium incurrere non desierunt. Cordubensis fabulae Romanorum societatem cruore manantem exprimunt; in eorum personis vehementer excruciatis et iniquo fato percussis humanitas dolore et aegritudine admodum affecta conspici vere potest. Euripides autem cum res maerore refertas effingat, in necibus tamen cruentis exprimendis diu non cunctatur et in lucem magis proferre vult caelicularum numina ab hominibus aliena atque iniquo praedita in mortales animo.

In Senecae fabulae quae «Phaedra» appellatur noverca nocens est et nimio Theseos filii amore haud Veneris consilio sed sua voluntate permota acceditur. Perfida mulier est, tam impudens et proterva ut privigno, qui Diana cultum prosequitur, cupiditatem per se temere ostendat muliebre decus, quod in rerum discriminis maxime patet, minime retinens. Quis in Phaedra quae a Seneca tam infuste profertur nefariam Agripinam, tam improbo filio dignam, non aspicit? In fabulis condendis Seneca stoicam sapientiam saepius effundit hominesque de philosophicis rebus erudit: quo modo aegritudines sint leniendae, quam adversum improbis evadat fatum, quam inania monstra nefariaque sint eorum qui caedibus delectantur, quam pulchrum autem virtutis studium.

Hoc et Euripides in drame plerumque prosequitur et sapientiam in illis partibus maxime profundit quae «ἀγῶνες λόγων» solent nuncupari. In Cordubensis autem fabulis, dici vero potest, operis ratio ad philosophiam multo magis spectat, quod poeta in animo habet homines inter tot calamitates docere praecipue laborum tolerantiam, quae animos, Stoicorum more, firmet ac roboret. Sapientia quae in philosophi nostri tragediis continetur dramatis progressioni procul dubio obest; id contra non impedit quominus in scaenis actae sint atque agi etiam nunc possint.

Veterum fabulas Seneca in operis condendis accipit animique mo-

tus aetatis suaे hominum ad personas accomodat; praesentes, ut ita dicam, eas effingit atque omnia, quae actionis vigori obsint, maxime eruditionem ad veterum res pertinentem, respuit. Ut Tacitus, Racine, optimi illius Gallorum dramatum scriptoris, sententia, maximus est antiquitatis pictor in illis videlicet rebus quae ad historiam spectant, ita Seneca hominum animos illius aetatis moresque ingenii acie quae sapientiae studiosum vere decet mirum in modum ante oculos expoenens penitus perspicit. Senecae fabulae romanae sunt, una cum Taciti Annalibus, qui ab excessu divi Augusti usque ad Neronis extremum principatum perveniunt, et Juvenalis acribus sermonibus vitam Romanorumque mores effingunt.

**ANTONIUS PAGANO, Professor  
Via Leonardo da Vinci, 8  
CATINAE (Catania - Sicilia) in Italia**

# IN “FIDEI ANNUM” UNIVERSO CELEBRANDUM ORBI<sup>1</sup>

Hostes fuerunt vel dubia fide<sup>2</sup>  
Quos angulares nunc lapides colunt  
    Christo fideles: Petrus anceps,  
    Quem facit ipse pavor fugacem;

In vincla Jesu conicit asseclas  
Paulus necandos. At resipit statim,  
    Suae neci demum paratus,  
    Luce deorsus uterque victus!<sup>3</sup>

Alter, catenis liber et obstupens,  
Christum sibi ipsum conspicit obvium  
    Necis metu Roma migrant:  
    “Rursus obire Crucem paratum”;<sup>4</sup>

Crucemque praefert...; mox revocat pedes,  
Idem Magistri martyrium petens,  
    Aluminus... En, princeps, beatis  
    Usque fores aperit polorum.

Alter, decoram non meritus Crucem,  
Isti per ensem se socium dare,  
    Nihil moratus, censem; ipse  
    Testis adhuc fidei Damasci.

1. A. d. III kal. jul. — a. r. s. MCMLXVII —, ad principum Apostolorum Petri ac Pauli martyrium publice, in petriana platea, Romae, commemorandum, Paulus P. P. VI «ANNUM — qui dicitur — FIDEI» toto orbe celebrandum indixit.

2. *Hostes... dubia fide* = Paulus, enim, cui prius nomen Saulus fuit, «devastabat Ecclesiam, per domos intrans et trahens viros ac mulieres, tradebat custodiendos» (Act. VIII, 3). Petrus, cui prius nomen Simon, anceps saepe de fide fuit: primum, scilicet, cum, fluctibus quondam naviculam jactantibus, jussus a Domino super aquam pedibus ambulare et mergi coepitus: «Domine — clamavit — salvum me fac!» Et Jesus: «Modicae fidei, quare dubitasti?» — Iterum, cum, inter Magistri judicium, ter se nosse Jesum negavit. Postremo, cum, compede liber, Roma abiens, obviam vidit Dominum sibi venientem, cui: «Quo vadis, Domine?» Et Ille: «Romam peto, ut iterum crucifigar!»

3. *Luce... uterque... victus* = Paulus, nempe, fulgure ex equo dejectus, dum prope Damascum in Christicos saevit; Petrus autem fulgore captus quo Jesus post resurrectionem per visum clarescebat.

4. *Rursus... paratum* = Paráphrasis verborum, quibus Christus responderit Petro quaerenti: «Quo vadis, Domine?»

Orbis salutem Sacra juvant quidem,  
 Sed Roma felix laetaque gestiat!  
 Prius, potens armis, aberrans,  
 Pacis adhuc habet alma dona.

Quos conditores nominis autumes  
 Gentis latinae? Romuleos deos?  
 Romam decet nomen perenne:  
 Crux dabit illud et ensis unum.

Fratriis nefando crimine Romuli<sup>5</sup>  
 Natalis Urbis si rubuit dies,  
 Pauli nece et Petri novo se  
 Nunc diademate Roma cingit.

Jam non triumphos bellipotens Ares,<sup>6</sup>  
 Jam non honestos, imperio tulit,  
 Cum principes Christo fideles  
 Fecerat una dies beatos.

Heroas almae hos fidei suos  
 Cives Quirini jam celebrent; novum  
 Christi per ipsos caritate  
 Imperium coalescit unum.

JANUARIUS MARINELLI, Professor  
 V. Salvator Rosa, 241  
 NEAPOLI (Napoli) in Italia

5. *Crimine Romuli* = Ex nota fabula, Romulus cum fratre Remo de principe contredit. Sub specie divi Celeris, enim, Romulus rutro occupat eum, qui «...premit duram sanguinolentus humum.» (Ovid. «Fast.», IV, 844).

6. *Ares* = e graeco fonte, pro Marte.

# SCRIBE LATINE

## II

### DESCENDIMIENTO DE CRISTO A LOS INFIERNOS<sup>1</sup>

Desciende, pues<sup>2</sup>, el noble triunfador<sup>3</sup> a los infiernos<sup>4</sup> vestido<sup>5</sup> de claridad y fortaleza, cuya entrada<sup>6</sup> describe un<sup>7</sup> santo<sup>8</sup> doctor por estas palabras: «¡Oh luz hermosa!», que, resplandeciendo desde la alta cumbre<sup>10</sup> del cielo, vestiste<sup>11</sup> de súbita<sup>12</sup> claridad a los que estaban<sup>13</sup> en tinieblas y sombra de muerte<sup>14</sup>. «Porque<sup>15</sup> en el punto<sup>16</sup> que el Redentor allí descendió, luego<sup>17</sup> toda aquella eterna noche<sup>18</sup>, resplandeció<sup>19</sup>, y el estruendo<sup>20</sup> de los que lamentaban cesó, y toda aquella cruel<sup>21</sup> tienda<sup>22</sup> de atormentadores tembló viendo al Salvador<sup>23</sup> presente<sup>24</sup>.

Allí<sup>25</sup> fueron conturbados los principes de Edom (*Ex. 15,15*), y temblaron<sup>26</sup> los poderosos<sup>27</sup> de Moab, y pasmáronse<sup>28</sup> los moradores de la tierra de Canaán.

### CRISTO DISCENDE ALL'INFERNO<sup>1</sup>

*Discende dunque<sup>2</sup> il nobile trionfatore<sup>3</sup> all'inferno<sup>4</sup> vestito<sup>5</sup> di splendore e di fortezza, la cui entrata<sup>6</sup> descrive un<sup>7</sup> santo<sup>8</sup> dottore con queste parole: O bella luce<sup>9</sup>, che, risplendendo dall'alta cima<sup>10</sup> del cielo, vestisti<sup>11</sup> di subita<sup>12</sup> chiarezza quelli che stavano<sup>13</sup> in tenebre e ombra di morte! Perchè<sup>14</sup> nel punto<sup>15</sup> che il Redentore discese laggiù, subito<sup>17</sup> quelle eterna notte<sup>18</sup> si rischiardò<sup>19</sup>, e lo stridore<sup>20</sup> di quelli che si lamentavano cessò, e tutta quella crudele<sup>21</sup> compagnia<sup>22</sup> di tormentatori tremò, vedendo il Salvatore<sup>23</sup> presente<sup>24</sup>.*

*Si<sup>25</sup> furono conturbati tutti i principi di Edom e tremarono<sup>26</sup> i potenti<sup>27</sup> di Moab, e si stupirono<sup>28</sup> gli abitanti della terra di Canaan.*

(Fr. LUIS DE GRANADA, *Libro de la oración y meditación*, I, c. 3, t. II; clr. BAC, *Obra selecta*, p. 869).

I. DESCENDIMIENTO DE CRISTO — CRISTO DISCENDE ALL'INFERNO<sup>1</sup>: ut indicem libri, loci scriptoris aut commentationis latine interpretemur, nonnullis uti possumus vertendi rationibus:

a) adhibetur *nominativus*: quo casu praecepsimum ac nobilissimum libri vel totius argumenti virum significamus, aut rem describendam vel narrandam paucis verbis praenuntiamus: *Brutus*, *Cato Major*, *Laelius*, *Vergilius poëta*, *Orator*, *Ibis*, *Coma Berecinis*, *Urbs Roma*, *Indoles populi romani*, *Rerum scintillulae* (: H. TONDINI).

— *Nominativo quid nos de re evolvenda sentiamus quodam animi vigore exprimere videmur.*

b) *ablativus adjecta praepositione «de»:* cum materiam seu argumentum, quod tractare volumus, aperte exprimimus: *de senectute, de amicitia, de morte contemnenda, de legibus, de re publica, de re rustica, de origine mundi.* Aliquando tamen — cum et «res tractanda» et «vir in libro admodum singularis» vinculo quodam conjunguntur — *nominativus et ablativus usurpantur;* ita Cicero: *Cato Major de senectute; Laelius de amicitia.*

c) *accusativus:* cum rem enodandam, animo permoto, exclamazione quadam enuntiamus: *O fortunatos agricolas! O fallacem hominum spem! O diurnarios, lepida capita!* (cfr. A. PACITTI, *Palaestra Latina*, 27 (1957) 208).

d) cum ipso indice seu titulo notio quaedam significanter denotatur, ex Romanorum more propositio efficitur, — quamvis in linguis hodiernis saepe locutio vaga vel abstracta usurpetur —: *Romani bellum indicunt [guerra de los romanos — guerra dei romani]; Filii Israël mare Rubrum transeunt [el paso... — il passo...]; Pulchrum est pro patria mori; Dulce et decorum est pro Christo mori; Almam veterum Romanorum linguam Italus magister defendit* (cfr. *Palaestra Latina*, 33 (1963) 177); *Moriendum est omnibus.*

— Sunt et aliae quam plurimae rationes quibus libri, commentationes, carmina, inscriptiones inscribi possunt; cfr., exempli causa, opuscula cl. v. H. Tondinii *Canentibus rivulis — Rerum scintillulae*, in quibus sunt: *Mater mortuum filium deflens; In cacumine montis; Filiolus caecum patrem manu ducens; Altissima loquitur abies; Secus viam; Sub horologio...* (cfr. *Rerum scintillulae*).

De tota re cfr. ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe lat.*, & 14, p. 12; & 31, p. 23;

F. CUPAIUOLO, *Guida a tradurre in lingua latina*, Le Monnier, Firenze 1962, 4 ed., p. 31;

IDEEM, *Adjumenta latinitatis*, Firenze 1964, p. 75.

2. *PUES — DUNQUE: itaque:* quae particula adhibetur ut significemus rem ex superioribus effici; conectit igitur duas sententias, quarum altera consectaria e superiore deducit: «*Itaque ad fanum tota urbe concurritur*» CIC., *de sign.*, 43, 95. «[Dumnorix] quam plurimas civitates suo beneficio habere obstrictas volebat. *Itaque* rem suscepit et a Sequanis impetrat...» CAES., *de b. G.*, 1, 9.

PAOLI, *Scriver latino*, & 287. ISSELÉ, *De Latinorum sermone*, n. 267. BERGER, *Stylistique lat.*, & 153.

3. *TRIUNFADOR — TRIONFATORE: triumphatorem* hoc loco adhibere possumus; quam vocem apud Minutium Felicem et Apule-

rum et in inscriptionibus scriptam legimus. -Adjectivo *nobilis* adde pronomēn *Ille*; cfr. *Palaestra Latina*, n. 198: 37 (1967) 63, adn. 1<sup>a</sup>, 2.

4. *INFIERNOS* — *INFERO*: *inferi* -orum: haec est vox ab optimis adhibita auctoribus et a multis Ecclesiae Patribus: praeponenda est igitur nominibus *infernum* et *infernus* — quae tamen communiter ab scriptoribus ecclesiasticis usurpantur —. Jam veteres de «*dis superis*» et «*inferis*» locuti sunt. —«Speciatim *inferi*, orum... absolute, substantivorum more, sunt loci inferi terrae; vel daemones et homines mortui qui in centro terrae habitant...» (FORCELLINI, s. v.): «Si is ...potuisset ipsum ab *inferis* evocare» CIC., *pro Mil.*, 29, 79, «Ab *inferis* locupletissimos testes excitare» CIC., *Brut.*, 33, 322.

5. *VESTIDO* — *VESTITO*: *ornatus*; cfr. «Sapiens ... gravissimis artibus atque virtutibus instructus atque *ornatus*» CIC., *de fin.*, 2, 34, 112; et translate *indutus*, cfr.: «Duabus quasi a natura *induti* personis» CIC., *de off.* 1, 107.

6. *ENTRADA* — *ENTRATA*: *ingressus*, (*introitus*).

7. *UN* — *UN*: est doctor Ecclesiae definitus, certus, quanquam suo ipsius non laudatur nomine (: Stus. Eusebius Missenus), et ideo apponatur oportet *quidam*.

8. *SANTO* — *SANTO*: *sanctus* a 'sanciendo', id est 'quod ritu sacro inviolabilis fit'; et ex ipsa vocis origine *sanctus* idem est ac 'sanctione confirmatus, sanctione subnixus' (cfr. ULP., *Dig.*, 1, 8, 9); et ideo *sanctus* sancitur «ritu quodam sacro» coque *sacer fit*, — *sacer* vero talis *natura sua est* —. A quo primigenio sensu — consecratus, confirmatus, inviolabilis — vox in alium natura seu essentia sua «moralem» deflectitur, quo idem valet atque «observatus, venerandus, venerabilis, probus, virtute praeditus»; ac deinde ex Judaeis et christianis idem significavit atque graece ἄγιος, et usu Patrum et Ecclesiae *sanctus*, «sensu prorsus morali seu supranaturali», est 'sacer, sacratus, consecratus, sacrosanctus'. Quam vocem Patres et ecclesiastici doctores quibusdam novis significationibus augent cum Deo, Christo Domino, B. Virgini Mariae, Angelis, apostolis, martyribus, vita pie functis, fidelibus christianis tribuunt.

— *Sanctus* jam ab optimis poëtis adhibetur et cum deorum nominibus conjungitur: «*Sanctae Veneri*» (CATUL., 36, 3); «*Sancto Herculi*» (PHAEADR., 5, 43) — quod tamen in universum purae orationi latinae adversatur, nam nomini proprio adjectivum proxime fere non adjungitur —, cfr. *Palaestra Latina*, n. 198: 37 (1967) 63, adn. 1<sup>a</sup>, 2.

GANDINO, *Lo stile lat.*, V, 4, 15.

— Qui puriorem consequantur latinitatem adjectivum *sanctus* «pro substantivo» non adhibent, sed aliis loquendi modis utuntur:

«Sanctissimus vir; vir sanctus; vir sanctitate, sanctitudine praestans, ornatus decoratus, insignis»; ac de superis: «caeles, itis; caelicola; caelestes; sancti caelites»; cfr. Card. BACCI, *Lexicon*, s. v.

— Sunt scriptores — in quibus Morcellius (*Lexicon Epigraphicum*, Bononiae 1835, vol. I, p. 407, s. v. *divus*) — qui carpant eos qui *divos* appellant sanctos caelites, cum id profanum habeant; eo enim titulo di tantum, aut Imperatores cum decessissent, divino cultu honestabantur. Eadem sentit Thomas Vallaurius (*Inscriptiones*<sup>3</sup>, Augustae Taurinorum 1865, pag. 233) qui gravi censura inscriptionem Beati Francisci As(s)isinatis

[DIVO . FRANCISCO . ASSISINATI . SACRVM]

notat, quam paganorum labo infectam habet.

— Attamen, justo judicio Card. A. Bacci (*Lexicon*<sup>4</sup>, s. v.): «Si veteres Romani, inquit, non modo Imperatores, sed eorum etiam filios «*divos*» appellarunt, cur nos eos, qui heredes et consortes divinae naturae sempiterna in caelis beatitate fruuntur, *divos* vocare non possumus?» — Hoc igitur adjektivo aliquando, sed moderate, uti possumus.

— Sancti Patres Ecclesiae prius adhibuisse videntur adjективum *beatus*, *a, um* quam *sanctus*, illudque venerationis et observantiae nomen habebant atque apud eos id significat quod est 'bene-dictus, beatitudine, felicitate fruens, sanctus'; cfr. «Fortissimi ac *beatissimi*» [de martyribus] (CYPR., *Epist.*, 11); «Epistola *beatissimi* Cypriani» (AUG., *de doctr. christ.*, 4, 14, 31).

Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Diction. étymologique*, s. v. *sancio* et *beo*;

BLAISE, *Diction. lat. fr. des auteurs chrétiens*, s. v. *beatus* et *sanctus*; Card. A. BACCI, *Lexicon*, s. v.

9. *OH LUZ HERMOSA* — *O BELLA LUCE*: *o alma lux; almus* est ab 'alendo' (*alo*) et significat 'quod alit, quod nutrit: beneficis, salutaris, quod matris amore fit, quod vita et spiritu auget (vivificat)'; et quanquam adjективum poeticum est, tamen a sublimiore dicendi genere Patris Granatae hoc loco non abhorret. — Memorare antiphonam: «*Alma Redemptoris Mater*».

10. *ALTA CUMBRE* — *ALTA CIMA*: *excelsa altitudo*.

11. *VESTISTE* — *VESTISTI*: *induo, is, ere*.

12. *SUBITA* — *SUBITA*: *repentinus*.

13. *ESTABAN* — *STAVANO*: pro verbo *esse* — vel alio in linguis hodiernis generaliore — saepius aliud verbum, quo res pressius significetur, usurpatum: «In potestate teneri» (CAES., *de b. G.*, 7, 43, 1);

«Perculsum et prostratum jacere» (CIC., *ad fam.*, 4, 4, 2);

«Abditum latere» (CAES., *de b. G.*, 2, 19, 6);

«Superiorem discedere» (CIC., *pro Caecin.*, 1, 2).

Cfr. BERGER, *Stylistique lat.*, & 80, p. 223.

GANDINO, *Lo stile lat.*, V, 1, 14.

ISSELÉ, *De Latinorum sermone*, n. 150.

14. Animadverte ordinem verborum, quae ita in oratione distri-buuntur: primum ii proponuntur de quibus est sermo (*eos*); deinde ii qui sint ex oratione relativa ostenditur (*qui in tenebris jacebant*); denique prima oratio intercepta finitur. Ut autem maximam tribuas vim, adjективum a substantivo, interposito verbo, disjungere potes, totamque orationem spondaeo dichoreo eleganter absolves. Qui mo-dus — unius inserenda orationis in aliam — frequentissimus apud Romanos est.

15. *PORQUE* — *PERCHE*: *nam*: «Ad probationem inducendam fere indiscriminatim utuntur conjunctionibus causalibus *nam* et *enim*» (ISSELÉ, n. 269); quas tamen particulias alias subtilius explica-bimus.

16. *EN EL PUNTO* — *NEL PUNTO*: *eodem temporis punto*; [*Punctum*] «Saepe transfertur ad tempus, et partem illius minimam, momentumque significat»: «Nullo temporis punto intermisso» (CIC., *de nat. deor.*, 1, 24); (FORCELLINI, s. v.).

17. *LUEGO* — *SUBITO*: *statim, subito, repente*.

18. *TODA AQUELLA ETERNAL NOCHE* — *QUELLA ETERNA NOTTE*: omitte *toda* — ut est in conversione italica —; sed retine *aquella* — *quella (illa)*; «*eternal*»: *sempiternus*.

19. *RESPLANDECIO* — *SI RISCHIARO*: verbum *resplandecer* proprie valet *refulgere, effulgere, splendere*; quo sensu inferorum te-nebrae, cum illuc Christus advenit, non solum illuminatae sunt [illus-trates luce Christi factae sunt], verum etiam ex Christi splendore «vel ipsae *refulserunt*»; quod si respondet verbo *illuminare* — ut in lingua italica *rischiarare* — *rischiararsi* —, adhibe *illustrare* — quod est 'lu-cidum reddere' [: ideo «*illustrata est*» —], *'illuminare, collustrare'*.

20. *ESTRUENDO* — *STRIDORE*: *crepitus strepitusque*; ut rem pressius exprimant ac definiant aut ampliorem faciant sententiam et numerum consequentur, Romani saepius *duo substantiva* adhibent quae plerumque idem fere significant atque eadem ratione duo ad-jectiva aut duo verba usurpant:

«*dux et magister*» (CIC., *in Verr.*, 3, 21, 54);

«*moderator et dux*» (CIC., *Tusc.*, 1, 28, 68);

«*donum et munus*» (CIC., *pro Arch.*, 8, 18);

Cura et studium — copia atque ubertas — dominus atque im-perator — laus et gloria — ordo seriesque — monumenta atque ornementa — vis et potestas — ope consilio — scelera ac latroci-nia — pro imperio et potestate — actor accusatorque.

Quae in hodiernis linguis aut *uno* redduntur *substantivo*, aut interdum, addita intentiore vi, «*substantivo et adjectivo*»:

donum et munus: *don — dono*,

dominus atque imperator: *signore assoluto*,

dux et magister: *un eccellente maestro — un vero maestro*.

Cfr. *adjectiva*: dubius incertus — extremus et ultimus — notum ac pervulgatum — otiosus ac deses — parvi angustique animi — felix ac faustus — locatum conductum.

Cfr. *verba*: eripuisse atque abstulisse — distinguere atque separare — tuendam conservandamque — delendum tollendumque — oro atque obsecro — tollenda atque asportanda.

Haec autem loquendi ratio, qua vocabula duplicantur, indoli genioque linguae latinae maxime convenit cum jam in primis linguae formulis manifesta fiat: *felix faustus — sors fortuna — oro obsecro — dare dicare — ferro et igni — opibus viribus — ventis remis — opera cura — velint nolint — vigeas valeas — satis superque*; de qua «copia dicendi» seu «abundantia sermonis» Tullius: «Illustris est oratio si verba duplicata et idem significantia (ponuntur)» *de part. orat.*, 20; ipseque apud *Brutum* (253) «princeps et inventor copiae» habetur.

Sunt qui hanc sermonis abundantiam — qua vocabula duplicantur — cum ipsa hendiade confundant aut parum ab ea distinguant — cfr. P. SPRINGHETTI, *Lexicon linguisticae et philologiae*, s. v. *endiadi*. H. PAOLI (*Scrivere latino*, & 27, pag. 56-58) dividit hendiadem in «determinatam, definitam» [*determinativa*] — quae vera est hendiadys: cum singula substantiva proprium habent sensum, et aliud substantivum est quasi alterius complementum —, et in hendiadem «intensivam» cum duobus substantivis eadem fere significantur (cfr. etiam CUPAIOLI, *Cuida da tradurre in lingua latina*<sup>4</sup>, 1964, n. 15, pag. 15; IDEM, *Adjumenta latinitatis*, 1964, n. 15, p. 23-24). — Distinguamus oportet inter *verba duplicata, geminata* (de quibus MAROUZEAU, *Stylistique lat.*<sup>4</sup>, 1962, pag. 277-281; 247-249) et propriam quam dicimus *hendiadem*.

Conferantur etiam ISSELÉ, n. 8; GANDINO, *Lo stile lat.*, I, 2, 27; BERGER, *Stylistique lat.*, & 83, 4.

21. *CRUEL — CRUDELE*: *saevus*; memor tamen esto: «Propositivo, superlativum fere requirunt adjectiva laudis et vituperationis, quae ad nomen proprium, intercedente nomine appellativo, referuntur»; cfr. «*Socrates, homo sapientissimus*» [*el sabio Sócrates*]; «*vir amplissimus* P. Scipio»; Capua, urbs *opulentissima*. Hujusmodi adjectiva aliquando superlativo gradu cum nomine communi efferuntur: «*Equites honestissimi*»; «*Patres amplissimi*» (Cfr. ISSELÉ, *De Latinorum sermone*, n. 46, p. 44; BERGER, *Stylist. lat.*, & 22; GANDINO, *Lo stile lat.*, V, 4, 15).

22. *TIENDA — COMPAGNIA*: *cohors*, quae «sumitur etiam pro quacumque congregatiōne aut turba»; *cohors amicorum*, *canum*, *febriūm*, *servorum*; *cohors Socratica...* (cfr. FORCELLINI, s. v.).

23. *SALVADOR — SALVATORE*: vox *salvator* non est apud Ciceronem, qui voce graeca *soter*, *eris* in oratione secunda in *Verrem* (4, 63) usus est: «Itaque eum non solum patronum istius insulac, sed etiam *sotera* inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum ut latino uno verbo exprimi non possit. Is enim nimirūm *soter*, qui salutē dedit». Ergo ex Tullio *soter* est 'qui salutē dedit aut dat'.

— Qui vero nimiae exquisitaeque puritatis studio ducuntur, *servare*, *servatore* solum modo utuntur, neque *salvatorem* in latinum sermonem adsciscere patiuntur, in quibus Forcellinius — quem probat Card. Baccius (*Lexicon*, h. v.) —: «Vox est, inquit, a probatis scriptoribus non usurpata, quia nec *salvo*, *as* in usu erat».

— Sed Ecclesiae Patres necessitate constricti nova vocabula considerunt, in quibus sunt *salvo*, *salvatio*, *Salvator*; nam, ut probe animadvertissent ERNOUT-MEILLER (*Dictionnaire étymologique de langue latīnae*, s. v. *saluus*): «*saluo* a été créé par suite de l'affaiblissement de *salūtō*, qui, ne subsistant plus guère que dans des formules de politesse, n'avait pour ainsi dire plus rien de commun avec *salus*, *saluus*; de là *saluator*, *saluātio*... Au III<sup>e</sup> siècle après J.-C., il n'y avait pas plus de rapport entre *saluāre* et *salūtare* qu'il n'y en a en français entre «sauver» et «saluer». — Hoc igitur mente percipiens discrimen, Tertullianus primus fuisse videtur qui hoc nomine Christum Dominum appellavit (*Advers. Marc.*, 3, 18), quem secutus est F. Lactantius in *Divinarum Institutionum* libro IV, 12,6 et 9: PL VI, 479-480: «Hemmanuel autem nunquam vocitatus est, sed Jesus, qui latine dicitur salutaris, sive salvator; quia cunctis gentibus salutifer venit»; ac paulo post: «Et pullulet Salvatorem... Salvator vero est, ut supra diximus, Jesus». [BLAISE, *Dict. des auteurs chrétiens*, s. v.: «après Tertullien, Lactance hésite encore à l'adopter»; at nulla in novo nomine adhibendo appetit mentis haesitatio, ut perspicuum fit ex superioribus Lactantii verbis].

Sanctus Augustinus haud illepede sane, at intimo et subtiliter excogitato argomento rem bene definit: «Christus, inquit, id est Christus Salvator. Hoc est enim latine Jesus. Nec quaerant grammatici, quam sit latinum, sed Christiani, quam verum. Salus enim latinum nomen est; *salvare* et *salvator* non fuerunt haec latina, *antequam* veniret *Salvator*; quando ad latinos venit, et haec fecit latina» (AUG., *Sermo 299,6*, PI. 38,1371). Ergo Christus suo adventu, ut alia, et proprium sanctificavit nomen fecitque se in posterum *lingua latina SALVATOREM*.

Optimo igitur jure Aldus P. Manutius eos vehementer carpit qui ne in linguam peccent, a vero sensu christiano deficiunt: «Aliud

enim est servare, aliud *salutem dare*. Servat is qui, ne salus amittatur, aliqua ratione praestat; *salutem dat*, qui amissam restituit» ... (*Comm. in Act. II, 1. II, in Verr.*, 63).

Krebs-Schmalz (*Antibarbarus*, s. v.) vocabula *salvare*, *Salvator*, cum de Christo Domino praedicantur bene accipiunt, quia nova fidei christiana notio, ex sublimiore vocis sensu et virtute, plurimum veteri — *servatoris* et *soteris* — notione praestat.

— Ergo *Salvator* ex iis est vocibus quae quasi «technica» haberi potest, et ideo integra perfectaque sua significazione difficillime alio modo exprimi potest, — alii aliter sentiant —. — Alias tamen locutiones meminisse juvabit: «salutis auctor, qui salutem dat, — graeco nomine: *soter* —, sospitator, salus hominum, salus generis humani».

De qua voce conferantur supra memorata lexica: ERNOUT-MEILLET, BLAISE, KREBS-SCHMALZ, NOLTENII (*Lexicon latinae linguae antibarbarum*, Venetiis 1743, p. 497-498), Card. BACCI.

24. *PRESENTE* — *PRESENTE*: *praesens*: «qui adest, qui est in conspectu» «Non quia *aest* *praesens* dico hoc» (TER., *Adelph.*, 3, 4, 20).

In qua struenda sententia: 1. verba separa seu disjunge: «illa... sempiterna... nox»; 2. vox *estruendo* — *stridore* in *crepitum strepitumque* converte; 3. subjecto («tortorum cohors») membrum *cum Salvatorem...* *viderunt* proxime interpone seu insere, eique aliam orationis partem subjunge (*tota conterrata est*); quibus orationem numerose absolves his clausulis: *adēssē vi/dērūnt* — *tōtā cōn/tērrita est*.

25. Hae orationes [*alli fueron conturbados ... Canaán* — *lì fueron conturbati ... Canaán*] concinnitate ornantur, quam in conversione latina prorsus retinendam curabis.

26. *TEMBLARON* — *TREMARONO*: *contremisco, is, ere*.

27. *PODEROSOS* — *POTENTI*: *potens, potentis*, quod nominis loco etiam sumitur; cfr.: «Suffragandi nimia libido in non bonis causis erienda fuit *potentibus*» (CIC. *de leg.*, 3,34; et *de re publ.*, 3, 23, 28).

28. *PASMARONSE* — *STUPIRONO*: *metu obstupescere*.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor  
In urbe ROMA

# B I B L I O G R A P H I A

BROWN, S. T. — *Ancient Greece*, 262 pp. Edit. Glencoe, London, 1965.

Hoc opus est in numero praestantissimae collectionis qua de humanitatis fontibus in Occidente agitur. Haec collectio in decem volumina dividitur, ex quibus "Ancient Greece" volumen secundum est. Unusquisque liber parvis ex scriptis auctorum, de quibus in libro agitur, fragmentis conflatur. Tam antiquissimi auctores quam recentissimi in hac collectione memorantur. Ad fragmenta melius intellegenda qui praecipui eventus in auctoris aetate advenerint atque quid ii nobis significant in ampla praefatione dicitur. Tamen haec praefatio brevissima est. Sed nobis multum inservit ut fragmenta, quae postea explanantur, cognoscamus. Haec collectio admodum utilis nobis videtur ut quo modo cultus Occidentis ex pristinis fontibus usque ad nostros dies promotus sit comprehendamus. Item ad fontes adire nostra semper maxime interfuit, quod historia multa discuntur. Nobis minime placuerunt nimia in praefatione brevitas atque quodam modo manca in fragmentis seligendis ratio.

HANTON, A. - PREAUX, L. — *Tite-Live*, extraits de *Histoires*, 94 pp. Edit. Charlier, Mamur, 1966.

In hoc libello fragmenta ex XXXV Titi Livi scriptis selecta colliguntur. Quo modo Romani nati sint et usque ad II saec. ante Chr. n. se propagaverint, in his fragmentis narratur. In hac parva historia componenda, fragmentis, servato temporis ordine, auctor usus est, quia id ei intellectu facile esse visum est. Res instituenda et res

ad societatem spectantes ab auctore magni habentur; de rebus bellicis textus tantum nobis offert quantum Romanorum humanitatem et virtutem maxime laudent. En librum utillem pueris qui in litteras humaniores incumbunt.

SOMVILLE, P. — *Platon, "ION"*, préparation et texte, deux petits livres, 29 et 36 pp. Edit. H. Dessain, Paris, 1966.

Haec duo fasciculi Platonis dialogo cui index est "ION" dicantur. In alio quidem quarundam difficiliorum vocum in linguam gallicam versio et notae ad textum facilis interpretandum utiles nobis dantur; in alio brevis de Socrate, de Platonis vita et mente, de homeristis ("rapsodas") et de "IONE" dialogo praefatio, et dialogi cum notis quibusdam textus.

WATHELET, P. — *Platon, "CRITON"*, préparation et texte, deux petits livres, 29 et 77 pp. Edit. H. Dessain, Paris, 1966.

Haec duo fasciculi superioribus similes omnino sunt. Longa tantum notanda est praefatio in qua res, in superiore praefatione jam explanatae, iterum peramplius enodantur.

BALLOTTO, F. — *Introduzione a Menandro*, 161 pp. Edit. Edikon, Milane, 1966.

F. Ballotto auctor, in rebus antiquis explicandis valde versatus atque inter litterarum humaniorum professores notus, quae Menandi fuerit vita et quae poeta senserit in his pagellis no-

bis declarat. Quamquam apud suos, ut fama est, multum eminuit, tamen ejus gloriae merita similia minime erant. Quoniam Menandri mens prope nostram humanitatem est, studio eum amandi et cognoscendi penitus prosequimur. Quae Menandri vita fuerit; que de rebus ad societatem spectantibus, et de amore et muliere et de diis religioneque senserit; quid in Terentii opera et in tragoeediam et in Aristophanem momentum fuerit. et alia similia, ab auctore dicuntur. Ampla librorum nota concluditur liber.

J. L. LATORRE, C. M. F.

BENSELER. — *Griechisch - Deutsches Wörterbuch bearbeitet von ADOLF KAEGI*. B. G. Teubner, Leipzig, 1962, pp. 880.

Hoc dictionarium graecum iteratis editionibus omnibus notum est et in populis lingua germanica utentibus a plurimis usurpatum. Illi operam dederrunt clari viri in dizione litterarum classicarum apprime versati, uti Kaegi, Clausing, Eckstein, Haas, Schroff, Wohleb. Illud commendat typographicā domus, cui tot laudes debentur ob tam praeclara opera multis ahbinc annis edita; illud maxime etiam copia rerum et dispositio nec non et cura confectionis et emendationis; denique appendix quaedam irregularium vocum, quae utilissima est ad interpretationem scriptorum graecorum.

SYME, R. — *Sallust*. University of California Press, Berkeley and Los Angeles, 1964, pp. 381 in-8º.

Professor Reginaldus Syme, ex operibus prius editis haud ignobilis, nunc rursus claret hoc sallustiano opere,

quod lectoribus libenter commendamus. In eo ad trutinam iterum fert auctor quaestiones sallustianas de momento et merito operum a Gaio Sallustio Crispio editorum. Estne Sallustius rerum scriptor memorabilis, quem Quintilianus laudat, cum ait: "...et hic (Sallustius) historiae major est auctor". (Inst. Or. II. 5. 19) vel fortunatus vir in rebus civilibus primum implicatus et earum postea facilis narrator? Intendit potius mores delapsos erigere quam res gestas accurate et diligenter litteris mandare? Auctor hujus operis, re diu et graviter perpensa, solvit quaestiones ab aliis antea propositis et Sallustium primum post Thucydidem rerum scriptorem facit, quin alienum sit ab eo cu ram morum habere et judicium proferre de viris, qui rebus civilibus praefuerunt.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

ELIOT, C. W. J. — *Coastal demes of Attika*, Edit. Committee Mary E. White, Toronto, 1962, pág. 181, \$ 5'00.

Hoc professoris Eliot opus henevolam probationem litteras humanas diligentium meretur. Cujus operis distributio ad facile rerum compendium et materiarum electionem consequendam lectoribus optimo est adjumento.

Hic liber Professorem Eliot in optimis investigatoribus atque rerum graecarum peritis extollit. Auctor scitissimam eamque clarissimam investigationem consecutus est multos annos studio vacans et itinera faciens in Graeciae et Canadiae terras et in Universitates Americae Septentrionalis et rerum graecarum peritos consulens.

Plurimis laudibus ob tantum opus Professorem Eliot prosequimur.

PRITCHETT, K. — *Studies in Ancient Greek topography*, pag., 261, Edit. T. S. Brown, Berkeley and Los Angeles, 1964, \$ 6'50.

Hic clarissimus Professor Pritchett librum propter accuratam rerum distributionen sensumque criticum magnificum nobis offert. Hic ductor bonus est volentibus in hisoriae antiquae studiis progredi. Professor Pritchett scitissimis studiis lectoribus describit Graeciae topographiam, nam descriptionibus utitur quas antiqui historici reliquerunt et operibus quae novissimi topographiae periti offerunt.

Credimus magistrum Pritchett hoc libro haud parvam suorum laborum partem coronavisse.

FOWLER, M. AND WOLFE, R. G. — *Materials for the study of the Etruscan language*, Edit. Madison and Milwaukee (The University of Wisconsin Press), Madison and Milwaukee, 1965, pág. 200.

Haec professorum M. Fowler et R. G. Wolfe volumina in rerum classicarum investigatorum operibus principem locum tenent. Magnus labor, quo hoc opus est conscriptum, quatuor auctorum virtutes manifestat: et patientiam et ordinem et criticam rationem et disserendi disciplinam. Hoc opus antiquas linguas dissentibus amplas tabulas verborum Etruscorum offert; quorum radices ex genuinis originibus erutae sunt.

D. MOSAKA, C. M. F.

DELAUNOIS, M. — *Horace, Odes du livre premier*, Ed. Duculot, Gembloux, 1963.

Commentarium, quamvis scientificum vel philologicum, habita in primis ratione vitae humanae curarum-

que juvenum recentium est exaratum; carmina enim quae auctor sua sententia excerpit, nobis magnopere arrident. Saepe carminis formam magnum habere momentum M. Delaunois iterum iterumque asserit ideoque prima semper stropha metrice scanditur. Praeterea auctor homines novit semper egere paululum formae pulchritudine.

Professor autem M. Delaunois non ut poetam certe inter primos praehet Horatium, qui dolorem ignorat qui que nonvult vitae incommoda sufferre nec se in periculum committere, cum venusinus poeta tantummodo beatam jucundamque vitam agere curet. Tamen M. Delaunois levem sed humanum Horatii risum evanescere non patitur hucusque cuiusdam etiam misterii poetici plenus perseverat.

P. HERRANZ, C. M. F.

OPELT, I. — *Die lateinischen Schimpfwörter und verwandte sprachliche Erscheinungen. Eine Typologie*. Bibl. der klass. Altertumswiss., Heidelberg, Carl Winter, 1965, pp. 283 in-8º.

Opus habes, huinanissime lector, de argumento singulari, cuius inquisitionem auctor sibi proposuit ad lauream obtinendam: *De sermone latino ad probra atque injurias exprimendas*. Ex scriptoribus latinis accurate colliguntur verba et locutiones quae maxime adhibentur in animi motibus valde agitatis, praesertim inter amatores cum, exempli gratia, perfide rumpitur vinculum amoris, inter parentes et liberos, inter dominos et servos, inter magistros et discipulos, inter duces et milites, inter cives in vita privata vel

publica, in orationibus et declamatiōnibus, in rerum civilium controversiis, cum ira deorum inter se vel in homines dissolvitur. Proprium hujus sermonis est verba extra modum adhibere atque, ut qui animi motibus ductus est, locutionibus uti hyperbolicis, immo omni humanitate dejecta, vocabula omnino absona, impudica, plebeia proferre. Index verborum et locutionum, de quibus in disquisitione disputatum est, in fine operis invenies. Desideratur auctorum seu scriptorum index, unde verba et locutiones desumptae sunt. Ceterum opus est magni momenti.

HÄUSSLER, R. — *Tacitus und das historische Bewusstsein*, Heidelberg, Carl Winter, 1965. pp. 456 in-8°.

Hoc opus, recens editum et in Bibliothecam studiorum classicorum receptum, non est nisi dissertatio ad lauream ab auctore anno MCMLXI proposita. Duplici partitione constat: in prima inquirit auctor quid sit historia, notiones quaerens incipiendo ab hodiernis scriptoribus, puta Sartre, Anouilh, et repetens usque ad Augustinum, Ciceronem ceterosque, ut in altera parte pressius quaerat quid Tacitus sentiat de hac re, quid de re publica regenda, quid de clarioribus viris temporis acti; sed imprimis agit de Cornelii Taciti arte in resus gestis narrandis et in personis describendis. Opus est quod vim ingenii haud parvam exigit ad verum sensum auctoris percipiendum, cum potius philosophicum quam philologicum argumentum prae se ferat et saepe disquisitio per vias implicatas procedat. Continet tamen magni momenti quaestiones.

BENGSTON, H. — *Griechische Geschichte von den Anfängen bis in die römische Kaiserzeit*. Dritte Auflage: Handbuch der Altertumswissenschaft, III. 4. C. H. Berk'sche Verlagsbuchhandlung, München MCMLXV, pp. XX-610.

Hermannus Bengtson, cl. in Universitate Tübinger Professor, tertium edidit hoc volumen Historiae Graecae, res gestas continens ab anno MCM usque ad annum XXX ante Christum. Ut mos est in hac Bibliotheca Monacensi rerum expositio est brevis sed copiosa et testimoniorum dives, addita praecipua bibliographia singulis argumentis seu quaestionibus. Opus ditatur tabulis de chronologia regum et rerum gestarum. In fine operis indicem universum invenies, quo facilius res et notitias in volume contentas data occasione consulere possis.

KOESTERMANN, E. — *Cornelius Tacitus, Annalen*. Band I. Buch 1-3, Band II. Buch 4-6. Carl Winter, Heidelberg 1963-1965, pp. 567 in-8°, 370 in-8°.

Hoc Tacitianum opus non indiget laudibus; in se enim continet magni momenti praefationes atque sex priorum Annalium interpretationes explanationesque auctoris nequaquam ignoti in iis quae ad Cornelii Taciti opera spectant. In praefatione prioris fasciculi breviter et presse agit auctor de Taciti vita et virtutibus, de ejusdem doctrina et dicendi genere, de historiarum fontibus, de arte narrandi et animi sensuum perspicua cognitione et vivida rerum hominumque descriptione. In alterius fasciculi praefatione de Tiberii principatu praesertim disseritur, et quamquam auctor rei principisque cognitor appri-

me versatus appetet, lugendum tamen est quod opus Gregorii Marañón, medici et scriptoris clarissimi, cui index est *Tiberius*, omnino praeteritum sit. Nihil dicam de rerum commentariis seu explanationibus, quae ex omni parte placent tum ex brevitate quadam tum ex varietate copiaque scriptorum, qui res singulas illustrant. Placet quoque typographica librorum dispositio et sedula ei continuata cura, vi cuius opus mendis caret et libenter et sine labore legitur. Restat igitur ut utrisque — et auctori et editoribus — ex imo corde gratulemur eosque rogemus ut quam primum ceteri Annalium libri in commodum tot Cornelii Taciti admiratorum edantur.

DIRKSEN, H. J. — *Die Aischyleische Gestalt des Orest und ihre Bedeutung für die Interpretation der Eumeniden*: Erlanger Beiträge zur Sprach- und Kunswissenschaft, 22. Verlag Hans Carl Nürenberg, 1965, pp. XII-148 in-8.<sup>o</sup>.

Non desunt qui Aeschyli dramata investigent et quaestiones in iis implicatae dilucidare current, uti ex indice bibliographicō, quo hoc opus clauditur, appetet. Auctor attente inquirit atque investigat veram Orestis naturam et virtutes, eumque proponere intendit qualem Aeschylus in tragediis facit. Ad propositum obtinendum sedulo cogitat quae de hac re scripscent principes in hac dictione scriptores et, omnibus rite perpensis, judicium profert. Est igitur opus haud exigui ponderis.

SIDNEY ALLEN, W. — *Vox Latina. The Pronunciation of Classical Latin*. Cambridge, at the University Press, 1965, pp. X-112 in-8.<sup>c</sup>.

Opus hoc est haud magnae molis sed magni ponderis. Res est quidem

magni momenti hac nostra aetate veram germanamque linguae latinae appellationem seu locutionem restituere, qualis fuerit aetate aurea scriptorum latinorum, ut tam variae appellationes, quae hic illic vim usumque retinent, ad unum redigantur, et genuina latina appellatio universalis fiat. Clmus. auctor primum principia phonetica linguae latinae breviter evolvit; deinde sonos dubios investigat atque definit plurimis testimo niis et argumentis adductis; denique in duobus appendicibus colliguntur textus praecipui grammaticorum veterum de litterarum appellatione et brevis conspectus historiae pronuntiationis linguae latīnae apud Anglos.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

PIERRE, L. — *Aristote, De la génération des animaux*, texte établi et traduit, 231 pp.

JANNONE, A. — *Aristote, De l'âme*, texte établi, 119 pp.

MORAUX, P. — *Aristote, Du ciel*, texte établi et traduit, 165 pp. Edit. Les Belles Lettres, París, 1965.

Hoc primum volumen Aristotelis operi « Ηερὶ ζῷων γενέσεως » dicatur. In eo optimus textus criticus exhibetur atque in linguam gallicam accurata conversio. Notanda est ampla et bene exstructa praefatio in qua diversae ad hoc Aristotelis opus spectantes quaestiones agitantur. En aliquas: quis hujus operis auctor sit; quo tempore scriptum sit opus « Ηερὶ ζῷων γενέσεως » dictum; quae in opere agantur summarim explicat auctor; de variis textus codicibus atque quanti pretii ii sint... Haec omnia critice probantur. In unaquaque pagina variae quorundam verborum

lectiones inveniuntur. Volumen ample concluditur indice notarum quae nobis magnae sunt utilitati ut melius in opere res explanatas intellegamus.

In secundo volumine de praestantissima quaestione agitur. Diversae quaestiones, ut in volumine superiori, in praefatione critice probantur. Tamen in hoc volumine quaestiones ad textum spectantes magni habentur. Ab investigatoribus XI codices reperti sunt et omnes hic memorantur et amplificantur atque ex eis textus criticus componitur. Novem vero codices in Bibliotheca laurentiana —Florentiae— et octo in Bibliotheca ambrosiana —Mediolani— et in Bibliotheca venetiana reperti magni habentur ab auctoribus. Praeter hos praecipuos codices, sunt alii sex codices qui minus pondus habent. His codicibus aliae in linguam latinam versiones adduntur. Haec bene sunt notanda: ad opus conficiendum XV codicibus usi sunt auctores, quorum variae lectio-nes in apparatu critico notantur. Pauca vero in textu mutantur quod adhuc nescimus quo modo ad nos pristinus textus pervenerit. In fine libri quaedam "libri II fragmenta e codice E (Parisino) edita" inveniuntur.

In tertio volumine quaestiones apud antiquos valde disputatae agitantur. Quam ob rem auctor, in opinionibus discriminandis prudens, in aplissima praefatione —191 paginis— de diversis quaestionibus in genere pertrac-tat. Tamen quae de cosmogonia in opere «*Ἢερι ωὐόπανον*» explanata Aristoteles sentiat accuratius amplificat. Haec libri commentaria maxime lau-damus quod breviter, clare et ordinate de his rebus Aristotelis sententiam nobis describit. In fine voluminis per quasdam imagines oculis nostris blan-ditur auctor ut res antea explanatas

melius intellegamus atque mente re-tineamus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

PIGANIOL, A. — TERRASSE, H. — *Les empereurs romains d'Espagne*, 345 pp. Ed. Centre National de la Recherche Scientifique, Paris, 1965.

Anno MCMLXIV, Matriti, adstantibus studiosis francogallis, hispanis, anglis aliarumque nationum colloquium factum est de romanis imperatoribus qui ex Hispania orti erant. Professores, in domum "De Velázquez" appellatam convenerunt, ibique, Domus moderator, eis exposuit rem de qua ut dissererent convenerant. Peritorum Domus "De Velázquez" investigatorum est indagare quid Hispania orbi universo donaverit. Illud recordemur oportet quod hi imperatores Romani orbi terrarum donassent, Hispaniae fuisse donum. In duas gentes Hispani imperatores dividuntur, Antoninam scilicet et Theodosianam, quae nempe divisio, in colloquiis, quaestionum magni momenti origo fuit.

Ii qui conventui aderant, de dis-pensatione seu aerarii administratione tempore imperatorum, disseruerunt, deque eorum provinciarum religione, deque civium factionibus, quomodo Hispania eruta et devastata sit vel illis temporibus quibus libertatem pri-mamque unitatem nanciseretur.

Professores Piganiol et Terrasse, qui conventui adfuerunt, haec omnia in lucem edunt, volumine pulchre exarato, quo in hac re indagationum progressus etiam includunt.

SCHMITZ, A. — *Virgile, Initiation, Enéide, livre IV.* Ed. Duculot, Gembloux, 1965.

Vergilii poetae semper cultores erunt. Sed diverse potest loqui de

Vergilii opere et arte poetico. A. Schmitz auctor modo proprio et peculiari hunc IV librum Aeneidos tractat. Haec "Initiation" qua attente singuli versiculi eorumque graviora verba examinantur, scholasticis et professoribus destinatur. In primis alumnis, qui per se ipsi sine aliorum adjumento ediscere velint, hoc opus placebit. Hoc auctoris optimum et laudandum meritum esse credimus: quod juvenes ad propriam institutionem deducuntur atque hujus IV libri pulchrum et bonum inveniunt, quia vivido modo, ut alumni libentius impensisque laborare cogantur, eis apponitur.

P. HERRANZ, C. M. F.

FLORIANI SQUARCIAPINO, M. — *Leptis Magna*. Raggi Verlag, Basel, 1966, pp. 152 cum 22 tabulis et 100 figuris luce pictis.

In Tripolitana regione, quae inter duas Syrtes interjacet, fuerat olim civitas, quae propter magnitudinem et splendorem Leptis Magna dicta est. De ea primus scripserat Petrus Romanelli (*Leptis Magna*, Roma, 1925) et recentiore aetate E. Vergara Caffarelli (*Leptis Magna*, Stuttgart, 1959) atque R. Bianchi Bandinelli (*Leptis Magna*, Roma, 1964). Auctrix fuse sapienterque explicat situm urbis, historiam, monumenta, ex quibus plurimae et gloriose ruinae extant effossae. In figuris luce pictis videre licet conspectum civitatis et magnam ruinarum partem una cum imaginibus praecipuis, quae nunc omnium admirationem movent.

ZIEGLER, K. — *Das hellenistische Epos*. Zweite Auflage. B. G. Teubner, Leipzig, 1966, pp. 78.

Haec optima disquisitio exitum pessimum obtinuit, forte quia, cum

primum anno MCMXXXIV typis mandabatur, auctor erat persona minime grata iis qui rem publicani Berolini tunc temporis regebant. Nunc iterum in lucem venit feliciore credo numine. Fasciculo continetur ea fere quae in prima editione erant, sed auctus est ampla optimaque disquisitione "De Ennio hellenistico epico" (pp. 53-77).

KNOX, B. M. W. — *The Heroic Temper. Studies in Sophoclean Tragedy*. University of California Press, Berkeley and Los Angeles, 1966, pp. 210 in-8°.

Bernardus M. W. Knox, Clmns. Moderator Studiorum Hellenicorum Washingtonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis atque Professor Philologiae Classicae in Universitate Yalensi, eas lectiones, quas anno MCMLXIII *Dc heroe sophocleo* palam protulit, nunc in volume collegit atque evulgavit. In duobus prioribus capitibus de heroe sophocleo in omni genere tractat; in aliis capitibus agit singillatim de *Antigona*, de *Philoctete*, de *Oedipo Coloneo*, inquirens naturam sophoclei dramatis ejusque in posteras aetas momentum. Opus est laude dignum tum ex rebus tractatis tum ex ratione qua res expositae sunt.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

LUBIENSKA DE LENVAL, H. -- *La educación del sentido religioso*, 282 págs. (2.ª ed.). Ed. Herder, Barcelona, 1965, 90 ptas.

H. Lubienska pueros religione instituere conatur ad vias atque rationes nondum satis temptatas. Auctricis consilia vel suasiones tutissima innituntur doctrina, cuius capitale fundamentum est hominem ex animo et

corpore constare; unde intellegitur auctricis assiduitas in iteranda virtute gestuum et jactationum eorumque intellegentia et dignitate. Hoc optimum operis credimus meritum; haec enim propria ars educandi semper fuit Ecclesiae quae christiana mysteria gestibus nos docuit; idque est tandem quod pueri oculis et corde optime intuentur.

Hoc opus natum est cum Lubienska missam non esse aliud nisi Cenam Domini gustu quodam animi exploraret; ideoque praecipua libri capita, ad missam pueris intellegendam destinantur. Auctrici corde gratulamur, opusque magistris et seminariorum alumnis maxime commendamus.

GENEVOIS, M. — *Entra en la alegría*, 251 págs. Ed. "Studium" Madrid, 1965.

Verae vitae christiana est laetitia. Quam veritatem multo melius intelleges et amabis hunc librum si legeris. Omnis theologica auctoris scientia comprehensibilis redditur plebi sanctae, ut confirmatur eo fidelium conuento qui ad audiendum verbum quod nunc in libro offertur, venerunt. Iterum atque iterum ante oculos idem est nobis: Deus caritas est.

CARNOT. — *El libro del joven*, 307 págs. (8.<sup>a</sup> ed.). Ed. "Studium", Madrid, 1966.

CARNOT. — *El libro de la joven*, 323 págs. (6.<sup>a</sup> ed.). Ed. "Studium", Madrid, 1966.

Domus editrix "Studium" omnibus juvenibus hujus libri novam editionem offert. Pecuniam rite impendes, ut credo, ad hoc opus emendum; liber enim sese ipse commendat, cum opus apud Francogallos editionem CLXII nanctum sit.

Dr. Carnot, medicus, magnaenque familiae pater, de amoris quaestionebus et vitae, modo vere christiano, humano laetoque disserit.

Deficienti juvenum in re sexuali institutione Doctor Carnot scribere coactus est.

Ejus filia Edith Carnot pro feminis juvenibus eadem fortuna patris opus accommodavit.

GUITTON, J. — *La mujer en la casa* (2.<sup>a</sup> ed.). 134 págs. Ed. Herder, Barcelona, 1967.

Magnum est in quaestionebus disserendis discrimen, librorumque sors plurimorum a scriptoris peritia saepissime pendet. En liber quo auctoris animus patet; non enim tantum commentationem sed in primis vitam ipsam nobis auctor offert.

Mulieris est domum instituere eamque quasi animare; mulier intimam conjunctionem mysterique sensum familiae donat; mulier ut sese largiretur nata est, unde oritur ejus ingenita matris natura, quae, permultis viis, maxime hodierno tempore, rite effici potest.

Hoc quoque libro Jean Guitton juvenes verum docet amorem.

LODUCHOWSKI, H. — *La coeducación de los adolescentes y el problema de los "teenagers"*. 146 págs. Ed. Herder (2.<sup>a</sup> ed.). Barcelona, 1967.

Liber praeceptoribus tantum destinatur et adulescentibus minime relinquendum est; optimas certasque notiones quomodo ad ea quae ad sexum pertinent, ut recte in hoc spatio vitae instituantur juvenes introduci debeant. Auctor quaestioni impensam operam navat remque ex veritate examinat. Critici necessarium in hac re librum judicant.

P. HERRANZ, C. M. F.

**BIBLIOGRAF, S. A. Editora de las Publicaciones SPES y VOX**  
**Calle del Bruch, 151 - Teléfs. 2571304-2573158 - Telegrammata BIBLIOGRAF - BARCELONA-9**

Corpus quod VOX inscribitur:

**DICCIÓNARIO ENCICLOPÉDICO ILUSTRADO.** Altera editio 1965 hodierna facta. —

Tria volumina 3900 paginarum (17 1/2 × 26 cm.) pulcherrimis typis excusa (linteo coniecta et in tergo corio) quibus plus 3500 tabularum pictarum, 70 paginae figurarum et quamplurimae chartae geographicae continentur.

**ENCICLOPEDIA MEDIANA,** alumnis in primis institutionis mediae elementalis destinata, 672 pp. et 22 tabulae et geographicæ mappæ coloribus illustratae.

**DICCIÓNARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** — Alteram editionem quam R. Menéndez Pidal, Praeses Regalis Academiae Hispanicae præfatione ornavit, iteratis curis S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis, recognovit. XL - 1816 pp. 25 × 17 cm.

**DICCIÓNARIO MANUAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** — Recognovit S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis. VIII - 1162 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.

**DICCIÓNARIO ABREVIADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA.** — Recognovit S. Gili Gaya. Lexicon in usum puerorum impuberum ad regulas morum et disciplinae paedagogicae compositum. Scitis picturis versicoloribus ornatum. XVI - 510 pp. 13 1/2 × 10 cm.

**DICCIÓNARIO DE SINÓNIMOS.** — Samuel Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodalis, digessit. XVI - 344 pp., 20 1/2 × 13 1/2 cm.

**DICCIÓNARIO MANUAL FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS,** 3.<sup>a</sup> edit. recognita et amplificata (tabulis grammaticis instructum). VIII - 914 pp., 20 1/2 × 13 1/2 cm.

**DICCIÓNARIO ABREVIADO FRANCÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS,** 672 pp. 13 1/2 × 10 1/2 cm.

**DICCIÓNARIO INGLÉS-ESPAÑOL, ESPAÑOL-INGLÉS** (tabulis grammaticis instructum). 1.450 pp. 25 × 17 cm.

**CURSO SUPERIOR DE SINTAXIS ESPAÑOLA,** a S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae sodale, exaratus. 320 pp., 15 × 17 cm.

**COMPENDIOS VOX DE DIVULGACIÓN FILOLÓGICA,** a S. Gili Gaya, Regalis Academiae Hispanicae, composita:

I. Ortografía práctica. II. Resumen práctico de gramática española. III. Nociones de gramática histórica española. IV. Iniciación en la historia literaria española.

*Quae Summaria in unum etiam volumen conglutinata veneunt*

**DICCIÓNARIO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** lexicon ab Eustachio Echauri exaratum. 830 pp., 15 × 11 1/2 cm.

**DICCIÓNARIO GRIEGO-ESPAÑOL.** Opus novum a Dno. Josepho M. Pabón exaratum quod brevi edetur. Circiter 600 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.



**SPES-DICCIONARIO ILUSTRADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** cui epitome grammaticae Latinae adjicitur. Praefationem scripsit V. García de Diego. Retractavit et sermonis ecclesiastici vocabulis auxit Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F. XVI-752 pp. 20 1/2 × 13 1/2 cm.

**SPES-DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO,** 310 pp., 17 × 11 1/2 cm.

VOX - SPES: insignia ubique terrarum cognita et magni habita

# L A T I U M

## GRAMMATICA

SELECTI LATINITATIS SCRIPTORES

in singulos Gymnasiī classici Cursus,

P. Josepho M.<sup>a</sup> Mir C. M. F. moderante, exarati.

*Prodierunt:*

LUCIUS ET QUINTUS: *Primus Cursus Linguae Latinae*,

a J. Aspa, C. M. F., et J. García, C. M. F. conscriptus.

GRAECIA ET ROMA: *Secundus Cursus Linguae Latinae*,

a J. Sidera, C. M. F., et P. Codina, C. M. F. exaratus.

ROMA, GENTIUM DOMINA: *Tertius Cursus Linguae Latinae*,

a J. Aramendía, C. M. F. paratus.

Qui libri scholares accurate juxta Constitutionem Apostolicam “Veterum Sapientia” conficiuntur et ad Seminariorum et Collegiorum alumnos instituendos sunt maxime accommodati.

**EDITORIAL COCULSA** — Víctor Pradera, 65 — MADRID - 8

Cerei liturgici **GAUNA** ad cultum divinum.

Insigne publice incipit pro “MAXIMA” et “NOTABILI”  
(marca registrada)

Capitula **GAUNA** ad cereos.

Summa parsimonia — Summa mundities.

Lampades cereae **GAUNA** legitime consignatae  
(patentadas)

ad Smum. Sacramentum, Vota, Domesticas Visitaciones.

Hae lampades canoni 1271 accommodantur  
quibus et lumen TABERNACULO tutum redditur.

SUMMA SECURITAS — PROSPER EXITUS

Rem experire. — Statim pete a Ceraria:

**NIETOS de QUINTIN RUIZ de GAUNA**

(Domus anno 1840 condita)

Loculus tabellarius (apartado) 6 - M. Iradier, 44 - VITTORIA (in Hispania)

# B I B L I O G R A P H I A

QUOIST, M. — *La chica del saxo-bar*, 150 pp. Edit. Estela, Barcelona, 1966

Collectione "Imágenes de Cristo" appellata mulierum virorumque, qui pietate erga Deum claruerunt, textus, adversaria, litteras, cet., ab ipsis scripta, in lucem edere intenditur ut nostrorum dierum homines, horum christifidelium gesta vitamque ante oculos habentes, Christum sequi libentius cupiant. Hi idonei Christi testes ex omnibus aetatibus, locis et condicionibus selecti sunt. In hoc primo hujus collectionis volumine Theresiae Collas adversaria narrantur et quo modo et qua de causa ea ad Deum redierit nobis aperte ostenditur. Hic libellus, ut credimus, omnibus qui de Dei amore dubitant atque religionem in oblivione habent, utilis est.

HAMER, J. — *La Iglesia es una Comunión*, 240 pp. Edit. Estela, Barcelona, 1965.

J. Hamer auctor, in fidei mysteriis explicandis valde versatus atque per multos annos in diversis collegiis professor, quae de Ecclesia sentiat in hoc volumine aperte manifestat. Ut Christi Ecclesiam, inquit auctor, recte cognoscamus, non solum qui in ea partem habeant, sed etiam quid eos inter se conjungat, cognoscere debemus. De hac quaestione Hamer nobis miram lucem promit. Quomodo Ecclesia definiri possit; quae ex definitis insequantur; quibus rebus et quomodo definita manifestentur, ab auctore in his paginis enodantur. En librum theologis et Christifidelibus utilissimum. Nos multos eum laudare audivimus: ideoque hic nos quoque laudamus et lectoribus libentissime commendamus.

CARREA, DE SANTOS. — *La Biblia*, (relatos ilustrados), 95 pp. Edit. Everest, León, 1966. "

En pueris utilissimum librum in quo maxime mira omnibus historia narratur, id est, nostrarum animarum sauitis ab ipso Deo factae historia. Narrationes quaedam selectae in eo tantum inveniuntur. Haec notamus: typorum claritatem, imaginum elegantiam et pulchritudinem. Omnibus religionis magistris eum libentissime commendamus.

Eco, U. — *Obra abierta*, 335 pp. Edit. Seix Barral, Barcelona, 1965.

Anno 1962 in Italia opus in vulgus ab auctore primo editum est, atque anno 1965 secundo. Per hos tres annos multas in lectorum mentibus ortae sunt difficultates. Ideo auctor de elegantiae doctrina minime agit, nisi de humanitatis historia ut nostris diebus invenitur. Nobis aperte declarat U. Eco libri finem non esse artis monumenta in magni praetii et non magni praetii dividere quod haec valde difficultia sunt definitu. Quod momentum temporum condiciones in arte habeant, quae scientiarum sint rationes, quae opere intendantur, ab auctore explicatur. Omnia magni praetii opera cum historia comparare nonvult atque de rebus, quae nostris diebus homines multi habent, mentionem non facit auctor. Haec tamen omnia magnae sunt utilitati auctori ut de nostrorum dierum condicionibus loquatur atque "ars" a quacumque doctrina distingui possit. Opus artis cultoribus permulum inservit atque omnibus iis qui artis studio et amori vacant.

J. L. LATORRE, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"  
 venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET  
 LAURIA, 5    BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index Orthographicus	"	5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio)	"	90

"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, Historiae Sacrae compendium (5 edit.)	ptis.	10
" Epitome Historiae Graecae (6 edit.)	"	12
* RAMOS, Cornelii Nepotis Vitae	"	10
* MIR, Ciceronis epistulae selectae (2 edit.)	"	12
* JIMÉNEZ, Ciceronis pro Archia poëta (2 edit.)	"	10
" Ciceronis in Catilinam (2 edit.)	"	10
" Caesaris, De bello civili	"	10
RAMOS, Ciceronis pro Q. Ligario oratio	"	10
MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.)	"	12
MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.)	"	10
SARMIENTO, Martialis Epigrammata	"	8
* ZULOAGA, Horati Carmina Selecta	"	12
RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I)	"	14
RAMOS, Xenophontis Anabasis	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6

# Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 161 Lluciá - Obres (vol. I)
- 162 Suetoni - Vides dels dotze Cèsars (vol. I)
- 163 Xenofont - Opuscles (vol. I)
- 164 Xenofont d'Efes - Efesíaque

Subnotationes mittantur ad:

**EDITORIAL ALPHA, S. A.**

Vía Layetana, 30 - BARCELONA